Digitized by Google

EX MUNIFICENTIA
FERDINANDI III. M. E. D.
DIE 3. IUNII 1791.

9. 6. 41
.6

ELEMENTA PHILOSOPHIÆ RATIONALIS,

SIVE

COMPENDIUM LOGICÆ.

IN USUM PUBLICUM
SCHOLARUM WIRTEMBERGICARUM
ADORNATUM.



CUM PRIVILEGIO DUCALI WIRTEMBERGICO.

STUTGARDIÆ,
SUMTIBUS JOH. CHRISTOPH. ERHARDI,
BIBLIOPOLÆ. ANNO MDCCLI.

BIBLIOTH

PRÆFATIO.

Publica Rei Scholaſticæ utilitas ab aliquo jam tempore poſcere viſa eſt, *Logicam B. Schellenbaurii* hactenus

inter nos publico uſu receptam, cum alio Compendio ad genium *recentioris Philoſophiæ* magis accommodato, commutare: eo quidem inſtituto, ut non tantum *Diſcipuli in Trivio* haberent *prima Elementa Logica*, adcuratas Definitiones, ac Diviſiones, poſthac memoriæ fideliter inprimendas, & non in ſpem futuræ oblivionis, ſed in uſum perpetuum addiſcendas; verum etiam *Auditores Gymnaſii & Monaſteriorum Ducalium, imo ipſius etiam Aca-*

ca-

cademiæ fundamentis his ſuperſtruere, & beneficio *unius ejusdemque Autoris, curſum Logicum feliciter abſolvere* poſſent. Cogitatum proinde eſt, de adornanda nova Logica, vel ſeligendo Autore jam dum publice proſtante, & huic fini accommodato: Cumque ſe tandem *Elementa Logica Doctiſſimi Layrizii, Rectoris quondam Neoſtadienſis*, præ cæteris commendarent, dubitatum non eſt, hæc ipſa eligere; ea tamen libertate, ut *ex lingua Germanica*

in Latinam, propriam quippe ac ferme vernaculam Eruditis & Diſciplinis, verterentur, non preſſim, ſed libero calamo, quædam, ubi viſum fuit, *addendo, quædam demendo, alia etiam immutando,* pro ſcopo operis *in uſum Scholarum Wirtembergicarum introducendi;* quam libertatem Viro æquiſſimo non moleſtam eſſe futuram confidimus. Ex qua ipſa etiam cauſa collectæ, & ſub finem Compendii ſubjunctæ ſunt *Definitiones & Diviſiones Logicæ,*

cæ, quas ſolas memoriæ tradendas haberent diſcipuli triviales, additis paragraphis, quarum ope ulterior argumenti in ipſis Elementis tractatio, & à Præceptoribus & à Diſcentibus inveniri poſſit: Ipſum autem Compendium, cum ejus explicatione, *Gymnaſio*, *Monaſteriis*, *atque etiam ſubſelliis Academicis* deſtinatum eſt. Quo inſtituto, quemadmodum *univerſæ Rei Scholaſticæ* in ſtudio Logico optime conſultum: ita docentibus ac diſcentibus uberrimam

DEI

DEI benedictionem affuſum iri optatur & ſperatur. Stutgardiæ, d. 20. Novemb. 1750.

INTRODUCTIO IN PHILOSOPHIAM GENERALITER SPECTATAM.

Sectio Prima.

De Cognitione humana ejusque differentiis.

§. 1.

Cognitio humana triplex eſt.

QUisquis genuinum de Philoſophia in genere conceptum ſibi formare cupit, eum ante omnia attendere oportet, quotuplex ſit cognitio humana. Conſtat experientia, hominem ſcire poſſe, e. g. non tantum 1. quod fulguret, ſed etiam 2. cur fulguret, & tandem 3. quantum locus fulguratio-

nis ab ipſo diſtet. In ſingulis his tribus homo de fulgure aliquid cognoſcit, eſt vero id, quod in ſecundo & tertio caſu cognoſcit, aliud & amplius quid, quam quod in primo cognoſcit. Triplex igitur eſt cognitio, quam homo recto ſenſuum & rationis uſu conſequi poteſt.

§. 2.

Experimur eſſe & fieri res extra nos & intra nos.

Quam primum homo ſenſibus ſuis uti incipit, tam primum varia extra ſe eſſe & ſubinde fieri obſervat. Videt e. g. ſolem, lunam & ſtellas, videt ſolem mane ſupra horizontem noſtrum oriri, exortum altius ſubinde aſcendere, ſub veſperam autem infra horizontem noſtrum deſcendere. Obſervat etiam porro in ſemet ipſo, quod mens ipſius cogitet, quod ea, quæ ſibi tanquam bona repræſentat, appetat, mala vero averſetur.

§. 3.

Def. Cognitio Hi-

Cognitio, qua ſimpliciter intel-

ligitur,

ligitur, quid in nobis & extra nos ſit & fiat, dicitur *Hiſtoricâ* ſeu *Vulgaris*. *ſtorica ſ. Vulgaris.*

Qui ſimpliciter novit, quod verno tempore arbores germinent, roſæ floreant, ſanguis in corpore circuletur, præteritas res animus tanquam præſentes ſibi ſiſtere poſſit, is de rebus his omnibus *Hiſtoricam* ſeu *Vulgarem* habet cognitionem.

§. 4.

Omnia quæ ſunt atque fiunt, *rationem* ſuam habeant neceſſe eſt, ex qua intelligi poteſt, cur ſint atque fiant, & cur præciſe ita ſint atque fiant. Ita ratio, cur arbores, & quidem tempore verno frondeſcant, deprehenditur in calore ſolis tempore verno telluri noſtræ adpropinquantis. *Ax. Quidquid eſt & fit, non eſt nec fit ſine ratione ſufficiente.*

Hocce *Principium rationis ſufficientis* omnes agnoſcunt homines in omnibus ſuis ſermonibus atque actionibus. Utut itaque multis in rebus nos *ratio* iſta lateat, inde tamen concludendum non eſt, quod nulla detur *ratio*. Ita ruſticus ignorat *rationem*, cur iris adpareat, quando cadentes pluviæ

guttas ſol colluſtrat, iris autem nihilominus ſuam habet rationem. Qui majore, quam humano, præditus eſt intellectu, ille multarum rerum rationes detegere poterit, quas vel eruditiſſimus ignorat philoſophus.

§. 5.

Def. Cognitio ſolida ſ. philoſophica.

Cognitio rationis, ex qua intelligitur, cur & quomodo res, quæ intra & extra nos ſunt atque fiunt, ita præciſe ſint atque fiant, & non aliter, dicitur *Cognitio ſolida ſeu philoſophica.*

Ita cognitio ſtructuræ cordis atque venarum, item cognitio, quemadmodum ſeſe contrahant atque rurſus expandant, ut ſanguis circuletur, cognitio ſolida ſ. philoſophica eſt, quoniam ex illa diſtincte poteſt intelligi circularis motus ſanguinis.

§. 6.

Def. Cognitio Mathematica.

Eo autem contenti homines nondum ſunt, ut ex. gr. ſciant, quod ſanguis in corpore humano circuletur. Imo nec ipſa ratio illa, cur circuletur, eos plene ſatiat,

tiat, ſed ulterius progrediuntur, & quantitates atque magnitudines rerum indagant; ex. gr. ſcire cupiunt, quanta velocitate ſanguis circuletur? quanta ſit illa vis, per quam circumagatur? quoties ſpatio viginti quatuor horarum ſanguis circumagatur? Vides itaque heîc de quantitate atque magnitudine rerum agi, quibus determinandis *Matheſis* eſt occupata. Quare Cognitio quantitatis vel magnitudinis rerum, dicitur *Cognitio Mathematica.*

§. 7.

Si quis in libro ſolido legit, quod iris oriatur, quando radii ſolis in guttis ex oppoſito latere cadentibus frangantur, tum aut diſtincte intelligit allatas rationes, aut id tantummodo in mente ſua retinet, quod auctor libri has vel illas rationes adducat; ſi prius, cognitio illius eſt *philoſophica*; ſi poſterius, cognitio illius eſt tantummodo *hiſtorica cognitio cognitionis philoſophicæ alterius.*

Def. Cognitio Hiſtorica cognitionis philoſophicæ alterius.

§. 8.

Def. Cognitio Hiſtorica cognitionis Mathematicæ alterius.

Pariter fit, ut quis libris Neutonianis legat, radium illum, quem ruber color in iride efficit frangi in angulo 42°, 2′. Cognitio Neutonis quidem *philoſophica* fuerat. Sed qui huncce calculum ſubducere, remque demonſtrare ipſe non poteſt; tantummodo *cognitionem hiſtoricam Mathematicæ cognitionis alterius habet.*

§. 9.

Theor. Hiſtorica cognitio ope ſenſationum acquiritur.

Hiſtorica cognitio ope ſenſationum acquiritur. Hiſtorica enim cognitio oritur, quando nobis res, quæ vel intra vel extra nos ſunt atque fiunt, repræſentamus, §. 3. docet autem experientia, quod res, quæ vel intra vel extra nos ſunt atque fiunt, mutationem inducant organis noſtris ſenſoriis, quando iſtas nobis repræſentamus. Repræſentatio autem rerum, quæ organis ſenſoriis mutationem inducunt, dicitur *ſenſatio*; ergo *cognitio Hiſtorica ope ſenſationum acquiritur.*

Quis-

Quisquis ſacchari guſtum ſibi repræſentare vult, in ejus lingua vel palato mutatio quædam, a ſaccharo effecta, quæque ante guſtatum in palato ſaccharum non aderat, facta fuerit oportet. Quodſi mutationis hujus ſibi conſcius eſt, iſtam ſentit, & ope hujus ſenſationis hiſtoricam guſtus ſacchari cognitionem acquirit.

§. 10.

Creatura igitur ſenſibus orbata de rebus extra nos poſitis *hiſtoricam* acquirere *cognitionem* non poteſt. *Coroll. Ergo ſine ſenſibus nulla cognitio Hiſtorica.*

Ita ſurdus *Hiſtoricam cognitionem* de ſono tibiæ acquirere non poteſt, quoniam in illius auribus neceſſaria ad hoc ipſum mutatio accidere non poteſt, & cum talis mutationis ſibi conſcius eſſe non poſſit, nulla quoque adeſſe poteſt ſenſatio, adeoque etiam nulla cognitio hiſtorica.

§. 11.

Cognitio Hiſtorica eſt initium humanæ cognitionis. Experientia quippe docet, quod omne initium *Theor. Cognitio Hiſtorica eſt initium humanæ cognitionis.*

tium cognitionis noſtræ fiat à ſenſationibus. Quoniam autem cognitio hiſtorica ope ſenſationum acquiritur, §. 9. eam ob cauſam initium humanæ cognitionis eſt.

Recte igitur Carteſius primum hoc philoſophiæ ſuæ conſtituit principium: Cogito ergo ſum. Quod nempe cogito, ejus mihi ſum conſcius, per conſequens in me ipſo ſentio.

§. 12.

Theor. Sine cognitione Hiſtorica, philoſophica non eſt poſſibilis.

Absque cognitione Hiſtorica cognitio philoſophica non eſt poſſibilis. Cognitio enim philoſophica eſt cognitio rationis rerum, §. 5. absque cognitione Hiſtorica autem ne quidem res ipſas noſcimus, quod ſint atque fiant, §. 3. qui igitur fieri poſſet, res ipſas quidem ut ignoremus, & rationes tamen rerum iſtarum ſciamus.

Qui ne quidem novit aërem eſſe gravem, quomodo ille rationem gravitatis perſpiciet?

§. 13.

Coroll.

Ex hiſce antepoſitis utilia licet elicere corollaria.

1. Cogni-

1. Cognitio Hiſtorica, ſive, ut alias appellatur, Experientia eſt mater philoſophiæ. Eam ob cauſam philoſophi ſemper præmittunt experientiam.
2. Non igitur contemnanda eſt Cognitio Hiſtorica, ſed potius ſemper ab ea inchoandum.

§. 14.

Theor. Ad cognitionem philoſophicam requiritur ratio.

Ad cognitionem philoſophicam requiritur recta ratio ſive ſanus intellectus. Conſiſtit nimirum cognitio philoſophica in cognitione rationum, cur, & quomodo res ſint atque fiant; §. 5. neceſſe igitur eſt, ut adſit perſpicientia nexus rationum rerumque ipſarum. Perſpicientia autem nexus rerum, dicitur Ratio; ergo ad philoſophicam cognitionem requiritur recta Ratio, ſive ſanus intellectus.

Ex. gr. qui ſolidam cognitionem de incrementis plantarum habet, ille perſpicit cauſas, propter quas ſuccus in tubulis capillaribus aſcendat, & aërem in illis incluſum, per poros plantarum, in earum partibus ſuperioribus, expellat;

& propter quas aqueæ partes hujus ſucci per exhalationem abeant, terreſtres verô, oleoſæ & ſalſæ partes remaneant, cohæreant, plantasque extendant, faciantque ut in longum, latum & profundum augeantur.

§. 15.

Coroll. Senſus non ſufficiunt ad cognitionem philoſophicam.

Ex quo intelligitur, quod *ſenſus non ſufficiant ad adquirendam Cognitionem philoſophicam.* Per ſenſus enim tantummodo oriuntur ſenſationes, per quas quidem cognitio Hiſtorica acquiritur, §. 9. aſt ad cognitionem philoſophicam requiritur ratio. §. 14.

§. 16.

Theor. Cognitio Mathematica, philoſophicam reddit certiorem.

Cognitio Philoſophica certior redditur, ſi cum cognitione Mathematica conjungatur. Nam quo quis diſtinctius perſpicit, quod ratio alicujus rei ſit vera ratio, eo certior ſit philoſophica cognitio; §. 5. quamprimum autem intelligimus, quod magnitudo cauſæ cum magnitudine effectus adcurate conſentiat, tum multo diſtinctius perſpicimus, quod

quod cognita rei ratio ſit vera ratio. Iſtud autem per Mathematicam cognitionem noſſe datur, §.6. cognitio igitur Mathematica philoſophicam reddit certiorem.

Quando aër ſub campana contentus extrahitur, campanam arcte diſco adhærere experimur. Cognitio hæc eſt *Hiſtorica.* Quando autem cauſas arctæ hujus adhæſionis in gravitate atque preſſione aëris campanam ambientis deprehendimus, cognitio noſtra eſt *Philoſophica.* Quando menſuram addimus & quantitatem preſſionis atque gravitatis determinamus, quando, pro menſura baſeos campanæ, arctam quoque adhæſionem vel augeri vel minui cognoſcimus, Cognitio noſtra eſt *Mathematica.*

§. 17.

Patet igitur, quod cum cognitione *philoſophica* conjungenda ſit *Mathematica*, quando ad majorem certitudinis gradum cognitionem noſtram elevare voluerimus. *Coroll. Cognitio Mathem. cum Philoſophica conjungenda.*

Sectio

Sectio Secunda.
De Philoſophia
ejusque Partibus.

§. 18.

Def. Philoſophiæ. EX eo, quod §. 5. de Cognitione philoſophica diximus, facilis eſt tranſitus ad genuinam ipſius philoſophiæ ideam. Nimirum Cognitio philoſophica 1.) occupata eſt rebus, quæ ſunt atque fiunt. Inquirit autem ſimul 2.) in rationes, propter quas res ſunt atque fiunt, & præciſe ita ſunt atque fiunt, & non aliter. Denique adminiculo 3.) rationis §. 14. nexum, qui inter res earumque cauſas intercedit, diſtincte perſpicere allaborat. Rationes ipſas irrefragabiles eſſe oportet, ſi quidem de veritate cognitionis convicti eſſe volumus. Nexus ipſe, qui intercedit inter res earumque cauſas, pariter invincibili modo demonſtrandus eſt, ſiquidem exinde enaſci debeat convictio. Habitus autem aſſerta ex principiis indubitatis demon-

monſtrandi adpellatur ſcientia. Ergo *Philoſophia* eſt ſcientia, rationes atque cauſas rerum, quæ ſunt atque fiunt, cur & quomodo ita potius ſint atque fiant & non aliter, ex principiis indubitatis, quantum quidem intellectus humanus permittit, demonſtrandi.

§. 19.

Philoſophus igitur eſt ille, qui *habitum* poſſidet, cauſas & rationes rerum, quæ ſunt atque fiunt, ex principiis indubitatis demonſtrandi. *Def. Philoſophus.*

Quatenus ſcilicet & quousque quis id præſtare poteſt, eatenus & eousque philoſophus dici meretur. Ubi rationes rerum ignorat, Cognitio ejus tantummodo eſt *Hiſtorica*, quam cum ruſticis habet communem; Ubi vero rationes rerum tantummodo fingit, *ſomniator* potius, quam *philoſophus* adpellari meretur.

§. 20.

Ex definitionibus hactenus allatis prono fluunt alveo ſequentia Corollaria. *Coroll.*

1. Phi-

1. Philoſophus gaudeto ſcientia;
2. Utitor principiis indubitatis, &
3. Methodo invicta, atque
4. Demonſtrandi habitu polleto.

Logica nobis oſtendit, quænam principia ſint indubitata? nimirum 1. Definitiones, 2. Axiomata, 3. Experientiæ ſ. obſervationes. Eadem etiam oſtendit, quænam methodus ſit invicta? Illa ſcilicet, qua demonſtrationem aliquam per legitima ratiocinia eo usque urgemus, dum tandem præmiſſæ non niſi ex definitionibus, axiomatibus atque obſervationibus conſiſtant; vel ordine retrogrado, quando ab axiomatibus, definitionibus atque obſervationibus inchoamus, & per legitima ratiocinia propoſitiones exinde profluentes demonſtramus.

§. 21.

Objectum Philoſophiæ. Objectum Philoſophiæ ſunt res omnes quæ ſunt atque fiunt, vel fieri poſſunt. Quodſi has res adcuratius indagare & genera vel ſpecies earum inquirere placeat, non-

nonniſi a memet ipſo incipere debeo. Cogito ſcilicet, ſum igitur mei aliarumque rerum extra me poſitarum, exempli gratia libri hujus, quem lego, & menſæ hujus, cui aſſideo, &c. mihi conſcius. Ens, quod ſui aliarumque rerum extra ſe conſcium eſt, dicitur Anima. Liber autem & menſa hæc, non anima, verum corpus adpellari ſolent. Duplex igitur jam adeſt objectum philoſophiæ, anima ſcilicet atque corpus. In Metaphyſica demonſtrabitur, animas eſſe immateriales, corpora autem materialia. Quoniam itaque animæ & corpora actu exiſtunt, cauſam quoque habeant neceſſe eſt, cur ſint, & ita potius ſint, quam aliter, §. 4. In Metaphyſica demonſtratur, quod omnia quæ exiſtunt, rationem ſuam habeant in Ente aliquo infinito, & omnipotente, quod Deus appellatur. Unde conſequitur, objectum philoſophiæ eſſe corpora, & animas, & utrorumque conditorem Deum.

Def. Pſychologiæ.

§. 22.

Illa pars Philoſophiæ, quæ agit de Anima, iisque quæ in anima peraguntur, *Pſychologia* dicitur. Multa de anima, iisque, quæ in anima fiunt, cognoſcere poſſumus, ſi modo ad internas noſtras attendimus ſenſationes. Ita ex. gr. cognoſco, quod amicum aliquem, jam per triennium abſentem, mihi repræſentare queam, licet abſentem; quod iſta ſomniare queam, quibus vigil per diem occupatus eram. Attenti ad meas ſenſationes hæc experior; habeo adeo harum rerum cognitionem *Hiſtoricam*. §. 3. Qua ratione fiat, ut ſomniare, res præteritas mihi repræſentare & in mentem revocare queam, id hactenus ignoro. Sed licet indagare & inquirere in iſtarum rerum cauſas atque rationes. Hoc autem modo Pſychologia in duas dividitur partes, quarum altera continet eas res, quas per experientiam de anima novimus, & adpellatur *Pſychologia Empirica*; altera vero continet cauſas atque

rationes

rationes earum rerum, quæ in anima ſunt atque fiunt, cur ita potius quam aliter ſint atque fiant, & adpellatur *Pſychologia Rationalis.* Illa pertinet ad cognitionem Hiſtoricam, ad quam ſenſationibus atque experientiis opus eſt §. 9. Hæc autem ad philoſophicam pertinet cognitionem, & ope rectæ rationis acquiritur, §.14.

§. 23.

Def. Facultas Cognoſcitiva & Appetitiva.

Attenti ad ea, quæ in anima noſtra contingunt, animadvertimus, quod non ſolum rem aliquam nobis repræſentare queamus, ſed & iſtam vel appetamus vel averſemur. Ita puer ſibi baculum non modo repræſentat, ſed & iſtum averſatur. Fieri id nequaquam poſſet, niſi facultas adeſſet nobis aliquid repræſentandi, & facultas aliquid vel appetendi vel averſandi. Duplicem adeo animæ noſtræ adſcribimus facultatem; illa dicitur *Intellectus ſive Facultas cognoſcitiva*, hæc autem *Voluntas ſive Facultas appetitiva.*

§. 24.

Exper. Utraque poteſt falli.

Experientia conſtat, *in utraque hac facultate nos poſſe falli.* Quæſo! quoties nobis aliquid repræſentamus ut verum, quod tamen eſt falſum? quoties appetimus aliquid ut bonum, quod tamen eſt malum? Ex quo recte colligitur, quod in philoſophia, ubi de anima agitur, ſollicitos nos eſſe oporteat de illis ſcientiis, quæ nos docent, qua ratione & Intellectu ſive facultate noſtra cognoſcitiva & Voluntate ſive facultate appetitiva recte uti queamus. Illa Philoſophiæ pars, quæ docet recte uti Intellectu ſeu facultate cognoſcitiva in cognoſcendo vero atque falſo, adpellatur *Logica* ſeu *Philoſophia Rationalis.* Iſta autem philoſophiæ pars, quæ docet recte uti Voluntate ſeu facultate appetitiva, in appetendo bono & averſando malo, dicitur *Philoſophia Practica* ſeu *Moralis.*

§. 25.

Exper. Homo vivit in ſtatu

Hominem conſiderare poſſumus

VEL

VEL tantummodo, quatenus eſt homo, & quæ exinde fluunt officia, erga Deum, erga ſemetipſum, & erga alios ipſi obſervanda, ſi quidem felix eſſe cupiat, & hic ſtatus hominis dicitur *Status Naturalis*. *vel Naturali,* VEL conſiderare hominem poſſumus, quatenus in ſocietatibus ad communem utilitatem erectis cum aliis vivit. Hæ ſocietates ſunt vel *ſimplices* atque *minores*, ex. gr. inter maritum & uxorem, inter parentes & liberos, inter herum atque ſervum; vel ſunt *compoſitæ* atque *majores*, ex. gr. inter Magiſtratum atque ſubditos. Quatenus in minoribus homo vivit ſocietatibus, in ſtatu *œconomico* *vel Oeconomico,* vivere dicitur: quatenus autem in majoribus, in *politico* ſtatu. *vel Politico.* Experientia docet, homines aut in *Naturali*, aut in *Oeconomico*, aut in *Politico* vivere ſtatu. Quodſi itaque Philoſophia practica hominem docere debet, qua ratione recte utatur voluntate ſive facultate ſua appetitiva in eligendo bono

& averſando malo, §. 24. neceſſe eſt omnino, ut illi oſtendat, quâ ratione in quovis horum ſtatuum ſuam inſtituere debeat vitam, ſi quidem ſuam promovere felicitatem velit.

§. 26.

Def. Ethica. Illa philoſophiæ pars, quæ docet, quomodo homo liberas ſuas actiones in ſtatu naturali inſtituere debeat ad felicitatem ſuam promovendam, adpellatur *Ethica.*

Liberas actiones adpellamus illas, quæ â voluntatis noſtræ imperio pendent; ita ex. gr. â Voluntate noſtra pendet, utrum hoc vel iſtud edere velimus, nec ne? id autem voluntatis noſtræ imperio ſubjectum non eſt, utrum ſtomachus cibos, quos ſumſimus, concoquat, an vero minus?

§. 27.

Def. Oeconomica. Illa philoſophiæ pars, quæ docet, quomodo homo liberas ſuas actiones inſtituere debeat in ſtatu œconomico, ad felicitatem ſuam promovendam, dicitur *Oeconomica.*

In

In hac diſciplina docendum eſt, ex. gr. qua ratione liberorum educatio bene ſit inſtituenda; item quæ ſint officia dominorum erga ſervos & ſervorum erga dominos &c. Cumque illa ſit pars philoſophiæ, neceſſe eſt, ut etiam omnium iſtorum officiorum ratio reddatur.

§. 28.

Def. Politicæ Illa pars philoſophiæ, quæ docet, qua ratione homines in ſtatu politico tanquam imperantes & ſubditi liberas ſuas inſtituere debeant actiones, ad felicitatem ſuam promovendam, *Politica* dicitur.

In hac diſciplina docendum eſt, quænam officia ſint Magiſtratuum & ſubditorum tempore belli & pacis tam erga ſe invicem, quam erga exteros &c.

§. 29.

Def. Philoſophiæ Practicæ univerſalis. Quoniam & Ethica & Oeconomica & Politica liberis hominum actionibus, eorumque felicitate acquirenda, conſervanda atque promovenda, occupatæ ſunt; neceſſe eſt, dari quasdam generales de li-

beris hominum actionibus atque felicitate regulas, omnibus iſtis diſciplinis communes. Quæ in peculiarem diſciplinam collectæ peculiari quoque nomine indigitari ſolent, & dicuntur *Philoſophia practica Univerſalis.* Eſt igitur *Philoſophia practica Univerſalis* ſcientia regularum generalium, ſecundum quas homines liberas ſuas inſtituere debent actiones, ſi quidem felices eſſe velint.

Hæc diſciplina pandit doctrinam de actionibus hominum liberis, de felicitate hominum, de ſummo bono, de conſcientia &c.

§. 30.

Def. Phyſica. Non autem de anima ſolum agit philoſophia, ſed & de corporibus. §. 24. Illa autem philoſophiæ pars, quæ de corporibus eorumque viribus agit, adpellatur *Phyſica.* Multa de corporibus per experientiam cognoſcimus attenti ad noſtras ſenſationes. Quilibet ſentit, quod, quando manum ſuam celeriter faciei admoveat, ali-

quid

quid in faciem illabatur, utut faciem manu ſua non tetigerit. Ex eo quilibet colligere poteſt, quod corpus aliquod fluidum nos ambiat, quod aër adpellari ſolet. Quod autem, extracto ſub campana contento aëre, aër campanam ambiens, iſtam contra diſcum antliæ pnevmaticæ premat, id quidem non omnes experiuntur. Ad id enim requiritur, ut antea aër, per machinas artificioſe confectas, in eum redigatur ſtatum, ut leges atque vires ſuas occultas, â creatore ipſi conceſſas, nobis reddat conſpicuas. Hujusmodi abſconditæ & per inſtrumenta atque machinas demum detectæ experientiæ, dicuntur *Experimenta;* quæ, ſi in peculiarem diſciplinam colliguntur, illa diſciplina *Phyſica Experimentalis* adpellatur. Quæ, cum tantummodo recenſeat ea, quæ in corporibus contingunt, & animadvertuntur, ad *Hiſtoricam* tantummodo *Cognitionem* pertinet. Illa autem pars philoſophiæ, quæ de rationibus agit, *Phyſica Experimentalis.*

propter quas illa, quæ in corporibus experimur, ita contingant & non aliter, adpellatur *Phyſica Theoretica* ſeu *dogmatica*. Utraque pars conſtituit *Phyſicam in genere*.

Phyſica Rationalis ſeu dogmatica.

§. 31.

Def. Cosmologiæ.

Quoniam omnia corpora, ſimul ſumta, præſentem mundum corporeum conſtituunt, multaque de mundo in genere dici poſſunt, non attendendo ad hoc vel iſtud præciſe corpus; hæc quoque generalis de mundo ſcientia in peculiarem collecta eſt diſciplinam, quæ *Cosmologia* dicitur.

Cosmologia igitur docet, quid ſint corpora, quæ ſit eorum natura, qui nexus, qui naturæ curſus, quæ leges motus &c.

§. 32.

Def. Theologiæ Naturalis.

Agit quoque Philoſophia de ſummo animarum atque corporum Creatore, quantum quidem rectæ rationis adminiculo cognoſci poteſt. Hæc pars Philoſophiæ, quæ de Eſſentia, attributis & operibus Dei agit, adpellatur *Theologia Naturalis*.

§. 33.

§. 33.

Ut autem generalia proſtent principia, quæ ad omnia Entia, ſive corpora ſint, ſive animæ, adplicari poſſint, inquiſiverunt philoſophi in ea, quæ de Entibus cogitari poſſunt in genere ſpectatis, nulla habita ratione, utrum corpora ſint, an verô animæ. Scientia hæc, de Ente in genere agens, adpellatur *Ontologia.* *Def. Ontologiæ.*

Docet *Ontologia* quid ſit Ens, quid poſſibile, quid neceſſarium & contingens &c. Scientia de Deo, Anima, Mundo & Entibus in genere ſpectatis, ſive Ontologia, Coſmologia, Pſychologia & Theologia Naturalis, uno nomine dicuntur Metaphyſica. *Metaphyſica.*

Sectio Tertia.

De Ordine, Methodo atque Stilo philoſophico.

§. 34.

PHiloſophia eſt ſcientia, §. 20. qui ſcientiam aliquam vel diſcere *Theor. Philoſophiam tractaturus a*

principiis incipere atque inde ad principiata deſcendere debet.

ſcere cupit vel docere, ille demonſtrare debet, §. 18. qui demonſtrare cupit, ille ex indubitatis principiis aſſerta ſua modo invincibili adſtruere debet atque tueri: *Philoſophiam* itaque *tractaturus à principiis incipere, atque inde ad demonſtrationes & concluſiones deſcendere debet.*

§. 35.

Theor. Philoſophiæ cultor incipere debet a Logica.

Philoſophiam tractaturus a principiis indubitatis initium faciat, §. 34. neceſſe igitur eſt, ut ſciat, quænam principia ſint indubitata, aliâs enim ab ipſis incipere non poſſet: Ergo intellectu ſuo ad id utetur, quoniam non alia datur facultas, qua id præſtare poſſet. Illa pars philoſophiæ, quæ docet, quomodo intellectu noſtro, vel in genere facultate noſtra cognoſcitiva, recte utendum ſit, appellatur *Logica.* Philoſophiam itaque tractaturus a *Logica* incipere debet,

§. 36.

Ex theoremate §. 34. allato ſequens diſciplinarum philoſophicarum

rum *ordo*, ut maxime naturalis, philoſophiam tractaturo ſeſe commendabit, ut

1. *A Logica* incipiat. §. 35. deinde
2. *Ontologiam* adgrediatur. Nam, quoniam illa de Ente in genere agit, §. 33. principia ſubminiſtrat ſequentibus inſervitura. Ab Ontologia pergat ad
3. *Coſmologiam;* Nam quoniam Coſmologia agit de mundo in genere; anima autem noſtra mundi hujus corpora eorumque mutationes ita percipit, uti in mundo actu ſunt, principia nobis ſubminiſtrat, Pſychologiæ intelligendæ: Hinc a Coſmologia tranſeat ad
4. *Pſychologiam.* Commode tractari Pſychologia poteſt ante Theologiam Naturalem, quoniam exiſtentia Dei e doctrina de mundo atque anima demonſtrari poteſt. Pſychologiam itaque ſequatur.

5. *Theo-*

5. *Theologia Náturalis.* Videntur quidem poſt Pſychologiam ſtatim tractari debere illæ diſciplinæ, quæ de recto Voluntatis uſu agunt, quoniam Voluntas ad animam pertinet. Verum quoniam in *Philoſophia practica* etiam docenda ſunt *officia* erga Deum, neceſſe eſt ut antea Eſſentia & Attributa Dei nobis ſint perſpecta. A Theologia Naturali tranſeat ad

6. *Phyſicam.* Nam ſi Theologia Naturalis Deum tanquam Creatorem omnium rerum nobis dedit manifeſtum, *Phyſica* id ſtatim ſuperaddere cōmode poterit, ut nobis fines Dei, in majoribus æque ac in minoribus mundi corporibus, luculentiores reddat. Et quoniam iſtis meditationibus mens humana ad *cultum Dei* incitatur, de quo *practica Philoſophia* agit, commode *Phyſica* inter Theologiam Naturalem atque philoſophiam practicam interjacet. Phyſicam ſequatur

7. *Phi-*

7. *Philoſophia practica Univerſalis.* Tradit hæc regulas generales, ſecundum quas liberæ hominum actiones inſtituuntur, §. 29. recte igitur præcedit iſtas diſciplinas, quæ ſpeciatim de ſtatu *Naturali*, *Oeconomico* atque *politico* præcipiunt. A Philoſophia practica univerſali pergatur ad

8. *Ethicam*, quæ jure ſuo præcedit Oeconomicam atque Politicam. Docet enim, quid homini, *ut homini*, agendum ſit; quoniam autem in aliis ſtatibus homo nihilominus manet homo, facile patet, quod ſuppeditet Ethica principia, in diſciplina *Oeconomica* atque *Politica* noſtris uſibus inſervitura. Ethicam ſequatur.

9. *Oeconomica*; quæ, cum minores ſocietates dirigat, eo ipſo animum præparat ad ea, quæ de majoribus præcipienda ſunt ſocietatibus. Ultima philoſophiæ pars eſt

10. *Pe-*

10. *Politica*, utpote quæ ex antecedentibus ſua petit principia.

§. 37.

Def. Methodus Philoſophica.

Methodus Philoſophica dicitur iſte ordo, quem philoſophi in tradendis ſuis doctrinis ſequi ſolent. Quemadmodum §. §. 34. 35. 36. oſtenſus fuit ordo, quo omnes philoſophiæ partes ſe invicem excipiunt; ita nunc etiam oſtendendus eſt ordo, quo quælibet philoſophiæ pars ſpeciatim ſit pertractanda.

§. 38.

Theor. Philoſophiam tractaturus terminos ignotos ante omnia definiat.

Qui philoſophiam vel diſcere cupit vel docere, a principiis exordiatur neceſſe eſt, e quibus ſequentia facile demonſtrari poſſunt; ſi ſequentia ex principiis demonſtranda ſunt, neceſſe eſt ipſa principia eſſe ſatis diſtincte percepta. Si autem principia ſatis diſtincte percepta eſſe debent, neceſſe eſt ut ea, quæ non ſatis diſtincte aut percepta aut tradita ſunt, antea diſtincte percipiantur aut tradantur, i. e. definiantur. Ergo *qui philoſophiam tractare cupit, terminos ignotos vel non*

ſatis

ſatis diſtincte perceptos ante omnia definire debet.

§. 39.

Qui philoſophiam vel diſcere cupit vel docere, definire tenetur terminos obſcuros & ignotos, §. 38. Si ergo dantur termini, qui vagi ſunt, & multiplicem habent poteſtatem, ut intelligi nequeat, qua poteſtate hic & nunc ſint adhibiti, neceſſe eſt, ut illos antea determinet; i. e. ſignificatum eorum indicet. Philoſophiam ergo tractaturus terminos vagos debet determinare. *Theor. Philoſophiam tractaturus terminos vagos determinet.*

Ex. gr. Vox, *Mundus*, nunc præſens Univerſum, nunc homines tantum in univerſo, nunc homines tantummodo malos &c. denotat; quodſi jam philoſophiam tractaturus termino *Mundi* vellet uti, neceſſario poteſtas ipſius antea deberet ab eo indicari, i. e. *determinari.*

§. 40.

Leges igitur Methodi Philoſophicæ ſunt ſequentes: *Leges Methodi Philoſophicæ.*

1. Omnes termini vagi & obſcuri definiantur atque determinentur.

2. Omnes

2. Omnes propoſitiones ex indubitatis principiis invincibili modo demonſtrentur, §. 20. n. 3. 4.
3. A principiis fiat initium, & ab iis pergatur ad demonſtrationes & concluſiones.

§. 41.

Coroll. Methodus philoſoph. naturalis Mathem. eadem eſt.

Quoniam itaque *Methodus Mathematica* easdem leges ſibi præſcriptas habet, patet, quod *Methodus Mathematica* atque *Philoſophica* ſit *eadem Methodus*.

Eundem ſcilicet intellectum, & eidem intellectui easdem leges atque regulas dedit omnipotens rerum omnium Moderator, & *Mathematicis* & *Philoſophis*. Et eam ipſam ob cauſam *Methodus Mathematica* & *Philoſophica* non alia eſt ac *Methodus Naturalis*. Dicitur etiam Methodus *Demonſtrativa*, *ſcientifica*, *erudita*, *Syſtematica*.

§. 42.

Def. Stilus Philoſophicus.

Stilus philoſophicus eſt ille modus cogitationes ſuas vel ſcripto vel ore exprimendi, quem philoſophi ſequi ſolent.

§. 43.

§. 43.

Ex hactenus demonſtratis, ſequentes ſtili philoſophici leges evidenter fluunt: *Leges ſtili philoſophici.*

1. Stilus philoſophicus quam maxime ſtudeto perſpicuitati, §. 38.
2. Evitato itaque, quantum fieri poteſt, omnes terminos obſcuros, vagos, atque metaphoricos. §. 38. 39.
3. Elegantia ſtili, ubi perſpicuitati obeſt, huic cedito.

§. 44.

Ex hac brevi introductione facile intelliguntur, requiſita Philoſophiæ cultoris: *Requiſita Philoſophiæ cultoris.*

1. *Naturalis capacitas*, ut abſque longa mora & ſolide omnia intelligat.
2. *Sincerus ardor* omnia ſolide & ex principiis cognoſcendi.
3. *Apta informatio*, ſecundum §. 40.
4. *Diligens lectio* librorum ſolide ſcriptorum.

5. *Rigidum atque impartiale principiorum examen*, ut nihil niſi demonſtratum admittatur, omnia accurate perpendantur, ſollicite repetantur & examinentur, præſupponitur autem heic moderata libertas, tum in inquirenda veritate, tum proponendis dubiis, ratione ſua utendi.

6. *Frequens repetitio* eorum, quæ ſemel bene percepta ſunt.

7. *Sufficiens exercitatio in Matheſi*; Arithmetica præcipue & Geometria. Utuntur enim Mathematici methodo philoſophica, §. 41. qua propter Intellectus iſto exercitio aptus redditur ad meditandum. Præterea in regno Mathematico nullum eſt ſtudium partium, uti in regno philoſophico; veritates Mathematicæ noſtris non litantur cupiditatibus, uti interdum hypotheſes philoſophicæ. Quid enim damni nobis exinde enaſcetur, quando

do Quadratum Hypothenuſæ æquale duobus Quadratis cathetorum?

8. *Sinceræ preces*, quæ fundantur ad Deum patrem lucis & datorem omnium rerum bonarum. Qui enim nobis intellectum noſtrum dedit, ille profecto nobis etiam id dare poterit, ut intellectu noſtro bene ac recte utamur.

9. *Fidelis executio atque praxis* earum quas cognovimus veritatum, atque officiorum erga Deum, nos met ipſos & erga alios. Hæc modo recenſita Philoſophiæ cultoris requiſita vulgo quatuor ſequentibus comprehenduntur vocibus: 1. Φύσις. 2. Μάθησις. 3. Ἄσκησις. 4. Δέησις.

§. 45.

Uſus philoſophiæ generaliter in eo conſiſtit, ut *Uſus Philoſophiæ generalis.*

1. Accuratiorem, quam quidem vulgo fieri ſolet, rerum nobis comparemus cognitionem,

adeoque etiam e rebus omnibus majorem capere fructum queamus; nam philoſophia res docet ſolide.

2. Aliorum ſententias opinionesque probe examinare diſcamus; nam in philoſophia omnia primo debent demonſtrari.

3. Nobis met ipſis a variis erroribus atque damnis caveamus; nam in philoſophia omnia & definiantur & demonſtrentur neceſſe eſt.

4. Deum, ejusque in univerſo hocce manifeſtatam gloriam eo luculentius cognoſcamus.

§. 46.

Uſus philoſophiæ ſpecialis.

Speciatim autem *Uſus Philoſophiæ* in omnibus omnino ſcientiis atque artibus humanis conſpicitur. Quoniam enim nihil eſt ſine ratione ſufficiente, §. 4. Cognitio autem rerum & rationum maxime per philoſophiam acquiritur, negari omnino non poteſt, quod philoſophia ubique largas fundat utilitates, ſi quidem recte applicetur.

Ele-

Elementa Logicæ.

INTRODUCTIO IN LOGICAM.

§. 47.

QUotidiana docet experientia, quod homines, qui nulla unquam Logicæ præcepta didicere, imo ipſi infantes, qui nulla prorſus adhucdum uſi ſunt inſtitutione, verum â falſo queant diſcernere. Cum jam id non poſſent, niſi viribus intellectus ſui uterentur, patet omnino, quod homines â natura facultatem habeant, utendi viribus intellectus ſui, in diſcernendo vero atque falſo, Hæc appellari ſolet *Logica Naturalis Connata.*

Exper. Datur Logica Naturalis.

Def. Logica Naturalis connata.

Dic quæſo! Cur vel pueruli fruſtum lapidis, pro fruſto ſacchari, item partem dimidiam pomi, pro integro pomo ſibi obtrudi non patian-

tur? Certe non alia ex cauſa, quam quod naturalem habent facultatem diſcernendi verum â falſo.

§. 48.

Exper. Differt Logica Naturalis.

Docet etiam experientia, quod hæc naturalis capacitas in uno homine major, in altero minor ſit. Dantur pueruli, qui vix capere poſſunt, quod bis duo libri ſint quatuor. Eorum adeo capacitatem oportet eſſe multo minorem, quam quidem aliorum.

§. 49.

Exper. Datur Logica Naturalis acquiſita.

Docet porro experientia, quod multi homines praxi quotidiana, commercio cum aliis, variis item negotiis tantam ſibi comparaverint promtitudinem utendi intellectu ſuo, ut vel iis, qui multo labore Logicam didicerunt, plane nihil cedant. Facile eſt allegare exempla, ruſticorum, artificum aliorumque in vita civili degentium, qui admodum bene ratiocinantur. Hæc promtitudo recte utendi viribus intellectus in cognoſcenda veritate dicitur *Logica Naturalis Acquiſita.*

Def. Logica naturalis acquiſita.

§. 50.

§. 50.

Thesis: *Dantur Leges cogitandi innatæ.*

Quæritur itaque, qua ratione fieri poſſit, ut quis intellectu ſuo recte utatur, *utut Logicam nondum didicerit?* Patebit id, quando ad actiones puerulorum attendemus. Puerulus aliquis lectionem aliquam memoriæ ſuæ mandare tenetur. Incipit ergo iſtam legere atque relegere. Quoniam verô iſtius commilitones garriendo atque ſtrepitando impediunt, quo minus iſtam lectionem ſatis diſtincte ſibi repræſentare memoriæque imprimere poſſit, conſilium capit abeundi in conclave quoddam, ubi ſolus eſſe ſuumque negotium urgere poſſit absque arbitris, qui vel oculis vel auribus ejus obverſari poſſent. Denuo igitur lectionem ſuam legere atque meditari incipit, atque mox animadvertit, quod jam multo melius iſtam capere poſſit. Quis huic puerulo hocce conſilium dedit, ut ſolus abeat? quis illi manifeſtavit, quod commilitonum ſuſurratio ſtrepitusque impedimento

 fit,

ſit, quo minus lectionem ſuam ſibi diſtincte repræſentare & memoriæ mandare poſſit? Præcipit quidem Logica, *quod, qui rem aliquam diſtincte capere velit, iſtam rem ſibi repræſentet ſolam, non autem plura.* Aſt Logicam iſte puerulus nondum didicerat. Quamvis autem iſtam nondum didicit, nihilominus actionem ſuam ad iſtud Logicæ præceptum inſtituit. Ex eo itaque patet, quod præceptum jam iſtud adfuerit in ipſius anima. Ipſe ſibi iſtud non præſcripſit; nec alii homines iſtud docuerunt; neceſſe ergo eſt præceptum iſtud ab eo accepiſſe, cui originem animæ ſuæ debet; Ille autem eſt Deus. *Dantur itaque leges cogitandi innatæ.*

Magni momenti eſt hocce theorema. Ita & aliæ cogitandi leges, quas homo in diſcernendo vero atque falſo ſequitur, quasque Logica præcipit, adſtrui poſſunt. Quoad corpora noſtra itidem dantur leges motus, quas omnes homines ſequuntur, utut ignorent, iſtas omnes originem ſuam trahe-

re

re ab ipſo Deo. Cur, quando montem aſcendimus, corpore noſtro propendemus? ne ſcilicet a linea directionis corporis noſtri declinantes, toto corpore ruamus. Hanc legem motus omnes ſequuntur homines, utut eam ignorent, imo ne cogitent quidem, quod aliquam obſervent legem.

§. 51.

Si dantur regulæ atque leges cogitandi, §. 50. poſſibile etiam nobis eſſe debet, ut iſtas diſtincte cognoſcamus. Quid enim obſtet, quo minus iſtas diſtincte cognoſcamus, cum homo ea, quæ & intra & extra ſeſe ſunt atque fiunt, ſibi repræſentare poſſit? §. 3. Ita pariter poſſibile eſſe debet, ut actu regulas iſtas in cogitando ſequamur, utque nobis conſcii ſimus, quod iſtas ſequamur, ut adeo etiam rationes allegare queamus, cur ita cogitemus, & non aliter. Ergo etiam *poſſibilis eſt ſcientia regularum, ſecundum quas Intellectus noſter in diſcernendo vero atque falſo dirigitur.* Poſſibilis autem

Datur Logica Artificialis.

1. docens ſ. theoretica.

2. *utens ſ. practica.* etiam eſſe debet *ſcientia Intellectu noſtro in cognitione veritatis recte utendi*; recte autem eo utimur, quando iſtum ſecundum regulas modo allatas dirigimus.

Ex. gr. Si ita ratiocinarer: *Quicunque per triennium* in Academia vixit, eſt doctus; Atqui Magiſter Ignarus per triennium in Academia vixit; Ergo Magiſter Ignarus eſt doctus. Quilibet primæ propoſitionis falſitates facile agnoſceret. Cur autem iſtam pro falſa habet? Neceſſe eſt adeſſe regulam aliquam in anima, cum qua propoſitio iſta contenditur, atque pro falſa declaratur. Poſſum utique attendere ad ea, quæ in anima mea contingunt; poſſum adeoque regulam iſtam invenire. Quodſi intellectus meus iſtam propoſitionem pro vera haberet, neceſſe eſſet, ut in idea hominis per triennium in Academia degentis aliquid deprehenderetur, cur τὸ doctum eſſe ipſi tribui queat. Proſtat igitur regula ſequens: Propoſitio habenda eſt pro vera, quando ſubjectum aliquid continet, propter quod illi prædicatum competere poteſt. Poſſum itaque cogitandi regulas

regulas nonſolum diſtincte cognoſcere, ſed & ipſo actu iſtas exequi, meumque intellectum ſecundum iſtas dirigere.

§. 52.

Theor. Logica Artificialis a naturali non differt legibus cogitandi, ſed diſtincta earum cognitione & uſu.

Logica Artificialis a naturali non differt legibus cogitandi, ſed diſtincta earum cognitione & uſu. Demonſtr. Logica Naturalis dirigit intellectum ſecundum innatas cogitandi leges. §. 50. Logica artificialis cognoſcit atque ſequitur ipſo actu easdem leges cogitandi, ſed diſtincte repreſentatas, §. 51. Ergo Logica Artificialis a Naturali non differt legibus cogitandi, ſed diſtincta earum cognitione & uſu.

§. 53.

Coroll.

E duobus antecedentibus theorematis ſequentia ſponte fluunt corollaria:

1. Si *Logica Artificialis* alias præſcribit leges cogitandi, quam quæ innatæ mentique noſtræ a Deo præſcriptæ ſunt, non eſt *genuina*. §. 51.
2. Si diſtincta cognitio & uſus alicujus rei præſtat cognitione

ne confuſa: etiam *Logica Artificialis præſtat Naturali.*

3. Qui innatas cogitandi leges non ſequitur, ille non recte utitur Intellectu ſuo. §. 51. Quodſi ea propter in errores incidit, nec verum a falſo diſcernere poteſt, erit id pœna naturaliter fluens e transgresſione legum cogitandi, quas Deus animæ noſtræ præſcripſit.

Omnem legis divinæ, (qualiscunque illa ſit, vel cogitandi, vel volendi, vel movendi lex,) transgreſſionem ſequitur neceſſario *naturalis pœna.* Ex. gr. Eat quis contra leges motus, labetur ſane, & eo ipſo *naturalem* iſtius transgreſſionis *pœnam* ſubibit.

§. 54.

P Theor. Logica docens praecedat utentem.

Logica docens præcedat neceſſe eſt utentem. Demonſtr. Illa docet regulas cogitandi, §. 51. hæc autem docet earum praxin. §. 51. Atqui impoſſibile eſt id exequi, quod non ante fuerat Intellectum. Ergo

Ergo diſcemus regulas cogitandi prius intelligere, quam in praxin deducere. *Logica* igitur *docens utentem præcedat neceſſe eſt.*

§. 55.

Si Logica docens eſt ſcientia regularum, ſecundum quas Intellectus noſter in cognitione veritatis dirigitur: §. 51. conſequitur exinde: Coroll.

1. Quod Logica docens nos docere debeat naturam Intellectus ejusque operationes;
2. Indicare debeat regulas, quas in cogitando Intellectus ſequitur;
3. Idque præſtare debeat ex principiis indubitatis & modo invincibili. Aliâs enim non eſſet ſcientia. §. 18.

** * **
* ** *

PARS

PARS PRIMA LOGICÆ.

Caput Primum. De Tribus Mentis Humanæ Operationibus.

§. 56.

Def. Quid ſit Mens ſ. facultas cognoſcitiva.

HAbet anima noſtra facultatem ſibi repræſentandi res, quæ vel intra vel extra nos ſunt atque fiunt. Res autem, quas nobis repræſentamus, ſunt vel *præſentes* vel *abſentes*, eæque aut exiſtunt *per ſe*, aut in *alio* quopiam. Ex. gr. quando *Ciceronem* Romanæ eloquentiæ Magiſtrum oculis cernerem, rem mihi *præſentem* repræſentarem. Poſſem autem etiam illum mihi repræſentare *abſentem*. Imo ipſam quoque *eloquentiam* ſeparatim mihi repræſentare poſſum, utut illa non per ſe exiſtat, ſed tantummodo in Cicerone vel alio quodam Oratore deprehendatur. Et hæc ratio eſt,

cur

cur a philoſophis illa animæ noſtræ facultas res ſibi repræſentandi vario modo dividatur. Pſychologia id prolixius docet. Nos jam generaliſſimo ſenſu iſtam animæ facultatem, qua ſibi res vel intra vel extra nos exiſtentes repræſentat, adpellamus Intellectum. Hoc itaque ſenſu nonſolum *facultatem cognoſcitivam inferiorem*, i. e. ſenſum, imaginationem & memoriam, ſed & *facultatem cognoſcitivam ſuperiorem*, i. e. intellectum ſtricte ſic dictum, rationem &c. denotat.

§. 57.

Si anima mea pulchrum ſibi repræſentat librum, eoque repræſentato ſonitum campanæ audio, tum alia in anima oritur repræſentatio, quæ antea non aderat. Si repræſentatio oritur, quæ antea non aderat, *mutatio* in anima accidit. Ratio hujus *mutationis* quæri debet in facultate illa, quam anima habet, ſibi aliquid repræſentandi. Si enim hac facultate deſtituta eſſet anima, non adeſſet repræſen-

Def. Quid ſit operatio Mentis.

præſentatio. Hæc autem facultas adpellatur *intellectus*, §. 56. *Ratio* igitur *mutationis* eſt in intellectu meo. Talis mutatio, quæ in anima accidit, & cujus ratio in intellectu deprehenditur, dicitur *operatio Mentis* ſeu *Intellectus*.

Ratio, cur campanæ ſonitum percipiam, non quidem unice in intellectu, ſed & in tremulo aëre ad aures meas uſque continuato deprehenditur. Sed ſi nulla facultas ſibi quid repræſentandi vel aliquid percipiendi adeſſet, nulla etiam repræſentatio vel perceptio tremuli aëris mutationem in auribus efficientis adeſſet. Ratio, igitur repræſentationis ſive perceptionis in intellectu, utut non unice in intellectu, quærenda.

§. 58.

Theor. Non dantur pluresquam tres Mentis operationes.

Quodſi ad nos metipſos attendamus, eo fine, ut animadvertamus, quotuplici modo intellectus â prima noſtra juventute ſeſe exerat, quot adeo dentur ſpecies, quibus omnes omnino ipſius mutationes contineantur, ſequentia deprehendimus: 1.Pone

1. Pone infantem aliquem cernere candelam; animadvertemus, quod defixis iſtam contueatur oculis. Quodſi jam cogitamus, in anima noſtra oriri ideam rei, quando iſtam aliquandiu aſpeximus: non eſt cur dubitemus, quin & in infante iſto idea candelæ oriatur.
2. Pone infantem hunc digitos admovere candelæ; tum animadvertemus ex illius clamore lamentabili, quod nova in eo exorta ſit idea, ſcilicet idea doloris, quem ſentit. Neceſſe igitur eſt duas in infante conjungi ideas, ideam ſcilicet candelæ & ideam uſtionis; & ita judicare dicitur iſte infans
3. Pone porro infantem iſtum poſt aliquot dies iterum cernere candelam aliquam; ſane mox animadvertemus, quod, juxta tritum proverbium, infans iſte jam jam uſtus candelam metuat. Fieri id nequaquam poſſet, niſi infanti

iſti prius judicium veniſſet in mentem: iſta candela uſſit: atque exinde concluſiſſet: hæc candela etiam uret. Tria igitur judicia in infantis anima ſunt facta: 1. Id quod video eſt candela; 2. Iſta candela uſſit; 3. Ergo etiam hæc candela urit. Hæc operatio intellectus dicitur *Ratiocinatio.* Jam omnes mutationes, quæ in anima noſtra contingunt, & quarum ratio in intellectu deprehenditur, uni e tribus hiſce annumerari poſſunt, ut adeo omnis mutatio vel Idea ſit, vel Judicium vel Ratiocinium. Hujusmodi mutationes autem dicuntur *Operationes Intellectus*, §. 51. Quare non plures quam tres dantur Operationes Intellectus, nimirum 1. *Idea ſeu Notio*; 2. *Judicium*, 3. *Ratiocinium.*

§. 59.

Coroll. Infantis igitur Intellectus non paucio-

pauciores habet operationes, quam Intellectus viri omnium eruditiſſimi, & eruditiſſimus omnium non plures habet operationes, quam infantis Intellectus. Eruditio itaque nullam facultatem novam animæ infundit, verum varia multiplexque facultas, quæ jam in anima eſt, ad varia quoque objecta dirigitur, adhibetur, in iisque diverſimode exercetur.

§. 60.

Repræſentatio rei in mente, *ſ. Notio*, *ſ. Idea* oritur in anima, quando res aliqua aut in ſenſus noſtros incurrit, aut mediante imaginatione, aut alio quodam modo in Intellectu noſtro mutationem quandam efficit. *Def. Idea ſ. Notio.*

Ita ſolis ideam nanciſcimur, quando illius radii in oculis noſtris mutationem aliquam efficiunt; aut quando per imaginationem Sol tanquam globus igneus intellectui præſens ſiſtitur. Quod ſi intellectus hujus repræſentationis ſibi conſcius eſt, idea exinde enaſcitur.

Duæ igitur partes ad ideam aliquam requiruntur: nimirum 1. *Perceptio*, & 2. *Apperceptio*. *Idea* igitur eſt perceptio rei in mente cum apperceptione conjuncta. ſ. Eſt rei in mente repræſentatio, cujus Intellectus ſibi conſcius eſt.

§. 61.

Differentia perceptionis & notionis.

Quæritur itaque utrum dentur perceptiones, quarum nobis conſcii *non* ſumus? Dantur omnino innumeræ. Quoties quæſo! fieri ſolet, ut uno eodemque tempore oculi noſtri aliquid videant, aures noſtræ aliud quid audiant, nares aliquid odorentur & manus noſtræ aliquid tangant. Vi commercii inter corpus & animam quatuor perceptiones exinde oriuntur.

Jam quære ex te ipſo, utrum ſimul omnium poſſis eſſe tibi conſcius? Si de eo cogitas, quod vides, non ſatis attendes ad ea, quæ audis, adeoque ſatis conſcius tibi eorum, quæ audis, non es. Adſunt itaque perceptiones, quarum tibi minimum non penitus conſcius

ſcius es. Conſcientia iſta rei, vel attentio ad rem, quam ſibi intellectus tanquam præſentem ſiſtit, dicitur etiam *ſimplex mentis apprehenſio*; quæ ſere cum eo, quod nos *ideam ſ. Notionem* adpellamus, coincidit.

§. 62.

Differentia repræſentationis in mente & in materia.

Sed & id jam quæritur, qua ratione differant repræſentationes ſeu perceptiones in mente ab iſtis repræſentationibus, quæ ex. gr. fiunt in *ſpeculo?* Reſp. varia ratione differunt:

1. Speculum quidem repræſentat corpus, ſed conſcium ſibi non eſt iſtius repræſentationis. In anima autem utrumque deprehenditur. §. 60.
2. Speculum repræſentat tantummodo viſibilia; aſt mens noſtra formare ſibi poteſt ideas, de rebus, quas vel plane nunquam vidimus, vel quæ plane viſibiles non ſunt. Chiliagonum nunquam vidi, nihilominus habeo ideam Chiliagoni. Affectus hominum

& omnes animæ operationes ſunt inviſibiles, nihilominus illarum habemus ideas. Hinc falſum eſt illud tritum: nihil eſt in Intellectu, quod non ante fuerit in ſenſu; ſi ſcil. vox Intellectus generaliter ſumatur & per ſenſum organa tantum ſenſoria intelligantur.

3. Repræſentatio rei in ſpeculo eſt repræſentatio corporis in corpore; idea autem eſt repræſentatio rerum incorporearum æque ac corporearum in Intellectu facta. §. 60.

§. 63.

Def. Judicium.

Quando Triangulum mihi repræſento, ſpatium mihi repræſento tribus incluſum lineis. Tres illæ lineæ non ſunt ipſum Triangulum, ſed ſpatium, quod tribus incluſum eſt lineis, eſt Triangulum. Poſſum itaque mihi tres lineas ſeparatim repræſentare. Habeo itaque duas ideas, quas in hoc exemplo deprehendimus eſſe conjunctas

junctas. Poſſum ſcilicet dicere: Triangulum habet tres lineas. E contrario facile intelligo, quod quatuor lineæ ad Triangulum applicari nequeant. Illa operatio Mentis qua duæ ideæ vel conjunguntur vel disjunguntur, adpellatur *Judicium*; & eſt *ſecunda* Mentis operatio. §. 58.

§. 64.

Def. Ratiocinium.

Ponamus Cajum eſſe ebrium. Cajum eſſe, & ebrium eſſe, ſunt res diverſæ. Quoniam autem iſtas actu conjunctas deprehendimus, eam ob cauſam mens quoque noſtra iſtas conjungit, atque judicat: Cajus eſt ebrius. Si quando audivimus, hominem ebrium eſſe vitiis deditum, imaginatio noſtra, vi legis ſuæ, hac occaſione mox reproducet in mente hocce judicium. Ita ergo mens noſtra ſibi duo repræſentat judicia, in quorum utroque idea ebrii deprehenditur. Jam vero duo iſta judicia duas alias quoque continent ideas, Caji ſcilicet atque hominis, qui

vitiis deditus eſt, quæ ideæ a ſe diverſæ ſunt. Mens autem noſtra iſtas conjungit & tertium ita format judicium: Cajus eſt vitiis deditus. Hæc operatio mentis, qua e duobus judiciis communem ideam habentibus, tertium elicit judicium conjungendo duas alteras a ſe diverſas ideas, adpellatur *Ratiocinatio*; & eſt *tertia* mentis operatio.

§. 65.

Coroll. Quodſi itaque *Logicæ* eſt nos docere, quemadmodum recte uti debeamus Intellectu noſtro, §. 51. Intellectus autem tres habet operationes, Ideam, judicium atque Ratiocinium, §. 58. neceſſe eſt ut *Logica* regulas præſcribat, quemadmodum omnes iſtæ tres mentis operationes dirigi debeant in cognoſcenda veritate. Sequitur itaque nunc *ſpecialis tractatio* cujusvis harum trium Mentis Operationum.

* * * * * *
* * *

Caput

Caput Secundum.
De Prima Mentis Operatione.

Sectio Prima.
De Differentia Idearum Formali.

§. *66.*

SÆpe fit, ut duo homines unam eandemque rem videant, ex. gr. plantam, monetam auream &c. Fit pariter ſæpius, ut, quando iidem homines alio tempore eandem monetam auream cernant, alter eorum iſtam monetam ab omnibus aliis monetis diſcernere valeat, alter autem eam diſcernere nequeat. Alterius itaque idea eo usque ſufficit, ut rem ab omnibus aliis diſcernere valeat, ut ex. gr. e viginti aliis monetis iſtam dignoſcere queat. Alterius autem *Def. Differentia Notionum Formalis.*

non ſufficit, ut adeo certus non ſit, utrum hæc moneta ſit illa, quam prius viderat, nec ne? Uterque habet ideam iſtius monetæ, & diverſa tamen eſt utriusque idea. Differentia illa non eſt in moneta, utpote quæ eſt una eademque, ſed eſt in modo repræſentandi. Hæc Differentia, quæ deprehenditur in modo, ſibi aliquid repræſentandi, adpellatur *Differentia Idearum Formalis.*

§. 67.

Def. Idea clara & obſcura.

Ejusmodi repræſentatio, quæ ſufficit ad rem agnoſcendam & ab omnibus aliis diſtinguendam, adpellatur *Idea Clara.* Qui Rubrum igitur colorem ſibi ita repræſentat, ut iſtum a viridi, cœruleo, atro, aliisque coloribus diſtinguere valeat, ille rubri coloris *claram* habet *Ideam.* Qui autem rubrum colorem ab aliis coloribus diſtinguere non poteſt, ille *obſcuram* habet *Ideam. Obſcura* igitur *Idea* eſt talis repræſentatio rei, quæ non ſufficit ad rem aliquam agnoſcendam & ab aliis omnibus diſtinguendam. §.68.

§. 68.

Theor. Idea Clara pendet à ſufficientia notarum ſ. caracterum.

Unde ergo oriuntur ideæ claræ? Reſponſuris ad hanc quæſtionem neceſſe eſt ut attendamus ad ea, quæ in mente noſtra contingunt, quando claras nanciſcimur Ideas. Quando roſam intueor & caryophyllum, deprehendo aliquid in roſa, quod in caryophyllo non deprehenditur. Per id, quod in roſa deprehendo, in caryophyllo autem non deprehendo, roſam a caryophyllo diſtinguere poſſum. Id, per quod rem a re diſtinguere poſſum, dicitur *Nota* ſeu *character*. Si ergo notas habeo ſufficientes, poſſum rem aliquam ab omnibus aliis diſcernere. Si autem ſufficientes habeo notas ad rem aliquam ab omnibus aliis diſcernendam, habeo iſtius rei ideam claram. §. 67. Idea igitur clara oritur ex ſufficientia Notarum, quas de re aliqua habeo.

§. 69.

Theor. Idea obſcura pendet ab inſuffi-

Idea autem *obſcura pendet ab inſufficientia notarum* ſeu *characterum.*

cientia characterum. *rum.* Demonſtr. Idea obſcura eſt talis repræſentatio, quæ non ſufficit ad rem aliquam ab omnibus aliis diſtinguendam, §. 67. non ergo ſufficientes adſunt notæ, quibus res aliqua ab omnibus aliis diſcerni poteſt. §. 68. Ergo *Idea obſcura pendet ab inſufficientia notarum ſeu characterum.*

Ita ex. gr. habeo quidem aliqualem ideam iſtius monetæ, novi unam alteramve notam, quod ex. gr. capitis figura ipſi ſit impreſſa, &c. Sed id nondum ſufficit ad monetam iſtam ab omnibus aliis diſcernendam; eſt igitur *idea obſcura.*

§. 70.

Coroll. De gradu claritatis & obſcuritatis. Patet igitur ex his, quod,

1. Quo plures in repræſentatione aliqua adſint notæ, eo clarior ſit idea.
2. Quo pauciores vero adſint notæ, eo obſcurior ſit idea; ut adeo gradus claritatis & obſcuritatis idearum a notarum multitudine vel paucitate pendeant.

Ex. gr.

Ex. gr. quo pauciores adſunt in mente mea notæ floris alicujus, eo obſcurior eſt idea mea; e contrario, quo plures habeo notas, ex. gr. formæ, coloris, foliorum &c. iſtius floris, eo clarior eſt idea mea.

§. 71.

Quidquid ergo *eſt Medium obtinendi notas rerum, eſt etiam medium obtinendi ideas claras.* Demonſtr. Nam ſi notas acquiro, ea acquiro, per quæ res aliqua ab aliis poteſt diſcerni. §. 68. Hæc autem ſi acquiro, ideam claram obtineo. §. 67.

Theor. Media obtinendi ideas claras.

Ducit autem nos ad cognitionem notarum:

1. *Ipſius objecti præſentia.* Ex. gr. Quando caſtellum aliquod ipſe intueor, facile poſſum animadvertere ea, quibus caſtellum ab urbe, oppido, pagoque diſcernitur; facile igitur eſt ita acquirere notas.

2. *Typus corporeus* alicujus rei, qui proportionem partium, Sym-

Symmetriam aliaque in extenſo ſolido exhibet. Ex. gr. Typus, (Modell) caſtelli multas exhibet notas, utut non omnes, quemadmodum ipſum caſtellum.

3. *Delineatio coloribus inducta*, quæ proportionem partium in ſuperficie repræſentat, & quidem in eo colore, qui cuivis parti proprius eſt. Ex. gr. Herbarium coloribus illuminatum.

4. *Delineatio nuda.* Ex. gr. Delineatio caſtelli. Etiam hæc nobis exhibere poteſt notas, licet non tot, quot ex ipſo objecti aſpectu, aut e typo ipſius corporeo colligere licet.

5. *Similitudo*; quando nimirum res alias, objecto noſtro ſimiles in quibusdam determinationibus, intuemur; Ex. gr. Piſcis Hippurus ſimilis eſt caudæ equinæ. Quoniam enim ſimilia in notis conveniunt, e ſimili uno poſſunt alterius quoque notæ cognoſci. 6.

6. *Deſcriptio* rei alicujus pariter nos ad cognitionem notarum ducere poteſt; eſt enim *Deſcriptio* nihil aliud, quam recenſio notarum externarum rei alicui competentium. Ex. gr. Roma antiqua eſt ſepticollis illa totius Italiæ Metropolis. Quo *prolixior* autem eſt deſcriptio, eo *plures* illa ſuppeditat notas; quo *plures* autem ſuppeditantur notæ, eo *clarior* redditur Idea §. 70.

§. 72.

Ex his facile intelligitur uſus luculentus typorum omnis generis, Geographicorum, urbium, caſtellorum, portuum, armorum, veſtium, pontium, caſtrorum, navium, molarum, ſodinarum, templorum, theatrorum &c. Egregie ſcilicet faciunt ad acquirendam notarum cognitionem, ut adeo præſtantia idearum clararum ſint adminicula. *Schol.*

§. 73.

Idea clara obtinetur ſenſibus & atten- *Theor. Idea clara*

obtinetur ſenſibus & attentione.

attentione. Demonſtr. Experientia docet, quod adminiculo ſenſuum & per attentam rerum conſiderationem, rem a re diſcernere diſcamus. Ergo ſenſibus & attentione ejusmodi repræſentationem acquirere poſſumus, quæ ſufficit ad rem aliquam ab aliis rebus diſcernendam. *Senſibus itaque & attentione obtinetur idea clara.* §.67.

§. 74.

Theor. Quo plures ſenſus adhibentur, eo clarior fit idea.

Quo plures adhibentur in re aliqua conſideranda ſenſus, eo clarior fit Idea. Demonſtr. Clarior fit Idea, quando in repræſentatione plures adſunt notæ. Quo plures itaque adhibentur ſenſus, eo plures acquirimus notas; idea igitur hoc in caſu fit *clarior*.

Ex. gr. Iſaacus auditu & olfactu utebatur ad diſcernendum Jacobum. Quodſi & oculos adhibere potuiſſet, clarior ipſius fuiſſet repræſentatio, nec Eſavum fictum habuiſſet pro vero Eſavo. Ita & ad diſcernendas plantas neceſſe interdum eſt, ut & viſus, & guſtus & olfactus adhibeatur.

§. 75.

§. 75.

Idea obſcura ope attentionis fit clara. Demonſtr. Idea obſcura propter inſufficientiam notarum eſt obſcura. §. 69. *Attentio* autem *eſt ea operatio mentis*, *qua ſibi rei alicujus bene conſcia fieri nititur.* Ergo qui attentus eſt, ſufficientium notarum ſibi conſcius fieri, adeoque claram ideam acquirere poteſt. *Obſcura* igitur *notio ope attentionis fit clara.*

Theor. Obſcura notio ope attentionis fit clara.

En rationem iſtius moniti pervulgati: Arrige aures! Ex hocce theoremate etiam ratio reddi poteſt, cur attenti diſcipuli doctrinas citius capiant, quam illi, qui ſenſibus atque mente ſua circumvagantur.

§. 76.

Experientia docet, quod ſæpius de re quapiam Ideam claram, adeoque ſufficientes habeamus notas, quibus rem iſtam ab aliis omnibus diſcernamus, nihilominus autem notarum iſtarum, per quas rem diſcernimus, nobis conſcii non ſimus. Iſtas itaque nobis re-

Exper. Idea totales ſunt claræ, quando partiales obſcuræ ſunt.

præſentare, atque a ſe invicem dignoſcere non poſſumus. Ex. gr. rubrum colorem dignoſcere poſſumus & diſcernere ab omnibus aliis coloribus, habemus itaque ideam claram, §. 67. adeoque ſufficientes notas. Nihilominus notarum iſtarum nobis conſcii non ſumus, nec nobis iſtas ita repræſentare poſſumus, ut alteram ab altera diſcernamus. *Idea* rei, quam conſideramus, adpelletur *totalis*, & ideæ notarum dicantur ideæ *partiales.* Patet itaque, quod ſæpius accidat, ut *Idea totalis ſit quidem clara, partiales autem non niſi obſcuræ.*

§. 77.

Exper. Sunt ideæ totales claræ, quando notæ partiales etiam claræ ſunt.

Dantur autem & alii caſus, ubi non ſolum objecti noſtri, ſed & notarum illius claras habemus ideas, ita ut iſtarum nobis conſcii eſſe, illasque a ſe invicem diſcernere queamus.

Ex. gr. *Horologii* non ſolum *claram* ideam habeo, quando iſtud ab omnibus aliis rebus diſtinguere poſſum; ſed & notarum ipſius *claras*

claras habeo *ideas*, quando novi horologium eſſe *machinam ſonitu campanæ vel rotatione indicis horas diei indicantem.*

§. 78.

Quando nonſolum objecti ipſius, ſed & notarum ejus claras habemus ideas, idea noſtra dicitur *diſtincte clara*, *ſ. diſtincta*. *Def. Idea diſtincte clara ſ. diſtincta.*

Ex. gr. Si linguæ latinæ tiro nonſolum infinitivum primæ conjugationis â reliquis infinitivis diſcernere poteſt; ſed & notam illius, nimirum, a, longum ante ſyllabam, re, ſibi repræſentare valet, atque iſtud longum a, diſcernit a longo e, tanquam nota ſecundæ conjugationis, *idea* ipſius eſt *diſtincta.*

§. 79.

Quando autem objecti quidem ipſius claram, ſed notarum illius nonniſi obſcuras habemus ideas, idea noſtra dicitur *confuſe Clara*, *ſeu Confuſa.* *Def. Idea confuſa.*

Ex. gr. quando odorem roſæ ab odore caryophylli reliquisque bene olentibus rebus diſcernere poſſum, habeo *ideam roſæ claram.* Quoniam

niam autem notam, per quam odorem roſæ cognoſco, mihi repræſentare, eamque notam a nota caryophylli diſcernere *non* poſſum, idea *notæ* tantummodo eſt *obſcura*. Ita etiam in coloribus plurimisque ſonis, res ſe habet.

§. 80.

Ax. Diſtincta idea pendet a claritate partiali; confuſa ab obſcuritate partiali.

Diſtincta igitur Idea pendet a *claritate partiali*; confuſa autem idea ab *obſcuritate partiali.*

Ex. gr. Eam ob cauſam habeo diſtinctam circuli ideam, quoniam *claras* notarum ipſius habeo ideas, quod ſcilicet ſit *linea curva, cujus omnia puncta æqualiter diſtant a centro*. Eapropter autem *confuſa* mihi eſt idea ſoni, quem cithara edit, quoniam quidem ſonum citharæ a ſono aliorum inſtrumentorum muſicorum dignoſcere poſſum, adeoque *claram* ideam ipſius ſoni habeo, ſed *notæ*, qua ſonus iſte ab omnibus aliis diſcerni poteſt, *obſcuram* tantummodo habeo ideam.

§. 81.

Theor. Nota idea diſtincta

Qui diſtinctam habet Ideam, & terminos ſeu nomina notarum novit,

vit, ille etiam has rei notas verbis exprimere poteſt. *Demonſtr.* Qui diſtinctam habet Ideam, ille claras notarum habet ideas. §. 78. Poteſt itaque notas ab omnibus aliis rebus diſcernere. §. 67. Quodſi itaque terminos ſeu nomina notarum novit, *iſtas etiam verbis exprimere poteſt.* *verbis exprimi poſſunt.*

Ex. gr. Qui *diſtinctam* Nicotianæ habet ideam, nonſolum iſtam ab omnibus aliis plantis diſcernere, ſed & notas illius diſtinguere poteſt. Quodſi & *terminos notarum* novit, poteſt illas etiam verbis exprimere & alteri recenſere. Si autem terminos *ignorat*, poteſt quidem claras habere notarum ideas, ſed alteri iſtas recenſere *non* poteſt.

§. 82.

Idea Diſtincta non obtinetur niſi de objectis, quorum notæ diſcerni poſſunt. Demonſtr. Idea Diſtincta habet claras ideas notarum, §. 78. Si autem notæ diſcerni non poſſunt, claras iſtarum ideas acquirere non poſſumus, §. 67. adeoque nec diſtinctam. *Theor. Diſtincta idea non obtinet, niſi de objectis, quorum notæ diſcerni poſſunt.*

§. 83.

Theor. Idea diſtincta acquiritur ope attentionis.

Idea Diſtincta acquiritur ope attentionis. Demonſtr. Idea diſtincta claras continet notarum ideas, §. 67. Ideæ claræ acquiruntur ope attentionis, §. 75. adeoque & diſtincta idea acquiritur ope attentionis.

§. 84.

Coroll.

Ratio, cur diſtincta idea non obtineatur, eſt *vel* in objecto, *vel* in nobismet ipſis.

I. *Eſt in objecto*, quando hoc ita comparatum eſt, ut iſtius notæ diſcerni non poſſint. §. 82. notæ autem objecti diſcerni non poſſunt

1. *Quando illud & quoad magnitudinem, & quoad multitudinem partium nimis amplum eſt.* Ex. gr. numerus viginti Cifrarum nimis multa complectitur, multitudo notarum nimis ampla & intellectus noſter arctioribus circumſcriptus eſt limitibus, quam ut omniá capere poſſit. Neceſſe igitur

igitur eſt, ut quamlibet notarum ſigillatim conſiderem, quando totius numeri diſtinctam acquirere cupio ideam. Hæc ratio eſt, cur in Arithmeticis unitates, denarii, centenarii &c. ſeparatim numerentur, abſolvunt enim notas alicujus numeri. Idea hujus Mundi ea propter difficilis eſt, quia nimis multa complectitur.

2. *Quando objectum nimis eſt remotum.* Ita ex. gr. difficile eſt acquirere ideam diſtinctam viæ lacteæ, quoniam ſtellæ nimis ſunt remotæ. Juvat autem iſtas ope teleſcopii, quod propiora ſiſtit objecta, contueri; ita acquirere licet ideam diſtinctam, ut cognoſcamus viam lacteam nihil aliud eſſe, quam ſtellarum parvarum ingens aggregatum.

3. *Quando objectum nimis eſt exile.* Ex. gr. pulvis, qui papilionum alis inſidet, nimis exilis eſt, quam ut notarum ali-

quid diſcernere, adeoque diſtinctam acquirere ideam liceat. Papilione autem ope microſcopii perſpecto, animadvertitur pulverem iſtum notas pennularum præ ſe ferre, ut adeo in papilionibus idem ſit, quod in reliquis volatilibus animantibus pennulæ ſunt.

4. *Quando notæ ſub aliis rebus latent & peregrinis involutæ ſunt circumſtantiis.* Ex. gr. Vagabundus Erro aliquis nocturno tempore muros vicini conſcendit, atque lintea in area ſuſpenſa clam aufert. Vides in hoc exemplo ideam furti multis peregrinis involutam eſſe circumſtantiis. Quid enim vicinus? quid vagabundus erro? quid nox? quid lintea faciunt ad ideam furti? furari quippe eſt proprietario inſcio atque invito rem ſuam auferre lucri faciendi cauſa.

II. Ra-

II. *Ratio autem etiam in nobiſmet ipſis eſt*,

1. *Quando debitam attentionem non adhibemus.* Ex. gr. dic pueris bis, ter, imo decies conſtructionem accuſativi cum infinitivo & hujusmodi alia; niſi attenti ſint, ideam claram iſtius conſtructionis nunquàm acquirent.

2. *Quando notas rei non repetimus.* Ita enim eorum obliviſcimur, nec iſtas nobis rurſus repræſentare valemus; fit itaque, ut idea, quæ fuerat diſtincta, rurſus abeat in confuſam, §. 72. imo prorſus obſcuram. §. 69. Ex. gr. pone, te diſtinctam habuiſſe ideam *Hypothenuſæ*, ut adeo notam, qua à cathetis diſcernitur, diſtinguere potueris, dicendo: *Hypothenuſam eſſe lineam angelo recto oppoſitam.* Quodſi id oblivioni dederis, idea hujus notæ *clara* abiret in *obſcuram*, adeoque totalis idea

Hypothenuſæ fieret *confuſa.* §.79. Et ſi plane non potueris diſtinguere Hypothenuſam a cathetis, fieret *obſcura.* §.69.

3. *Quando nimis multa ſimul tractamus.* Quoniam ſcilicet arctis circumſcriptus eſt limitibus noſter intellectus, multarum rerum notas ſimul ſibi repræſentare non poteſt. Idea igitur notarum fit *obſcura*, adeoque totalis idea fit *confuſa.* Hinc illud: *Non multa, ſed multum.* Et: *Pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus.*

§. 85.

Exper. Datur differentia idearum diſtinctarum.

Experientia docet, quod ex. gr. diſcipulus aliquis Quadratum ab omnibus aliis figuris diſtinguere, notasque aliquas allegare queat; ex. gr. quod ſit ſpatium quatuor lineis rectis æqualibus incluſum. Idea igitur Quadrati *totalis* eſt *clara.* §. 68. Habet autem & *notarum nonnullarum* claras ideas, aliâs iſtas indicare non poſſet. Si vero *totalis*

totalis idea Quadrati eſt *clara*, *claræque notarum quarundam ideæ*, habet ideam *diſtinctam*. §. 78. Nihilominus notæ, quarum claras habet ideas, ſufficientes non ſunt ad diſtinguendum a Rhombo quadratum. Non ergo omnium, ſed quarundam tantummodo notarum claras habet ideas. Diſtincta igitur diſcipuli Idea Quadrati, quæ tantummodo quasdam exhibet notas, differt a diſtincta idea illius, qui tot novit notas, ut quadratum ſemper & ubique ab omnibus aliis figuris diſtinguere valeat. Ex. gr. quando quis prioribus notis etiam æqualitatem angulorum adderet, illius idea Quadrati magis eſſet diſtincta, quoniam omnes omnino complectitur notas, cum idea diſcipuli alterius quasdam tantum complectatur.

§. 86.

Def. Idea completa.

Idea completa dicitur, quando nonſolum totius rei, ſed & omnium ad rem ſemper & ubique ab omnibus aliis diſcernendam ſufficien-

cientium notarum claras habemus ideas.

Ex. gr. Idea Furti, quod ſit ablatio rei alienæ inſcio & invito domino lucrifaciendi cauſa, eſt idea completa, quoniam omnes continet notas, quibus furtum ab omnibus aliis hominum actionibus diſtingui poteſt.

§. 87.

Def. Idea Incompleta.

Idea Incompleta dicitur, quando quidem totius rei, atque notarum quarundam claras habemus ideas, ſed quæ ſufficientes non ſunt ad rem ſemper & ubique ab omnibus aliis diſcernendam.

Ex. gr. Idea Chriſtiani, quod ſit homo quietam atque honeſtam agens vitam, incompleta eſt, quoniam quasdam tantum, non autem ſufficientes continet notas, quibus chriſtianus a viro honeſto, ſed veri Dei veræque religionis ignaro, diſcerni poſſet.

§. 88.

Ax.

Completa igitur idea pendet â *ſufficienti claritate partiali*; incompleta autem idea pendet ab *inſufficienti claritate partiali.*

§. 89.

§. 89.

Omnis idea completa eſt diſtincta; ſed non omnis diſtincta eſt etiam completa. *Ax.*

Ex. gr. Corpus eſt Ens extenſum: hæc idea diſtincta quidem eſt, ſed non completa; requiritur enim ad ideam corporis etiam vis inertiæ atque vis activa.

§. 90.

Completa idea acquiritur ope attentionis. Demonſtr. Attentio eſt ea mentis operatio, qua rerum ſibi bene conſcia fieri nititur. Ergo qui attendit, ſibi conſcius fieri poteſt omnium notarum, ad rem aliquam diſcernendam requiſitarum atque ſufficientium, adeoque etiam ideam acquirere poteſt completam. §. 86. Ope attentionis ergo acquiritur idea completa. *Theor. Completa idea acquiritur ope attentionis.*

§. 91.

Eodem argumento ſequentes quoque demonſtrari poſſunt propoſitiones: *Coroll.*

I. Idea Completa poteſt fieri incompleta,

1. *obli-*

cientium notarum claras habemus ideas.

Ex. gr. Idea Furti, quod ſit ablatio rei alienæ inſcio & invito domino lucrifaciendi cauſa, eſt idea completa, quoniam omnes continet notas, quibus furtum ab omnibus aliis hominum actionibus diſtingui poteſt.

§. 87.

Def. Idea Incompleta. *Idea Incompleta* dicitur, quando quidem totius rei, atque notarum quarundam claras habemus ideas, ſed quæ ſufficientes non ſunt ad rem ſemper & ubique ab omnibus aliis diſcernendam.

Ex. gr. Idea Chriſtiani, quod ſit homo quietam atque honeſtam agens vitam, incompleta eſt, quoniam quasdam tantum, non autem ſufficientes continet notas, quibus chriſtianus a viro honeſto, ſed veri Dei veræque religionis ignaro, diſcerni poſſet.

§. 88.

Ax. Completa igitur idea pendet â *ſufficienti claritate partiali*; incompleta autem idea pendet ab *inſufficienti claritate partiali.*

§. 89.

§. 89.

Omnis idea completa eſt diſtincta; ſed non omnis diſtincta eſt etiam completa. *Ax.*

Ex. gr. Corpus eſt Ens extenſum: hæc idea diſtincta quidem eſt, ſed non completa; requiritur enim ad ideam corporis etiam vis inertiæ atque vis activa.

§. 90.

Completa idea acquiritur ope attentionis. Demonſtr. Attentio eſt ea mentis operatio, qua rerum ſibi bene conſcia fieri nititur. Ergo qui attendit, ſibi conſcius fieri poteſt omnium notarum, ad rem aliquam diſcernendam requiſitarum atque ſufficientium, adeoque etiam ideam acquirere poteſt completam. §. 86. Ope attentionis ergo acquiritur idea completa. *Theor. Completa idea acquiritur ope attentionis.*

§. 91.

Eodem argumento ſequentes quoque demonſtrari poſſunt propoſitiones: *Coroll.*

I. Idea Completa poteſt fieri incompleta,

1. *obli-*

1. *oblivione*,
2. *neglecta repetitione.*
3. *rerum nimis multarum ſimultanea tractatione.*

II. Quo pauciores ſunt notæ, quarum claras habemus ideas, eo magis incompleta eſt idea noſtra.

§. 92.

Def. Idea abundans.

Idea dicitur *Abundans*, quando plures continet notas, quam quidem ad rem diſcernendam ſufficientes ſunt.

Ex. gr. Idea Trianguli, quod ſit ſpatium tribus lineis tribusque angulis incluſum, eſt idea abundans, quoniam ad diſcernendum Triangulum ſufficit, quando dicimus, eſſe ſpatium tribus lineis incluſum.

§. 93.

Exper. Datur differentia idearum completarum.

Quemadmodum experientia docet, quod detur differentia idearum diſtinctarum, §. 85. ita eadem docet experientia, quod etiam detur *differentia idearum completarum.*

rum. Qui dicit: globum eſſe corpus, cujus ſuperficies ubique æqualiter diſtet a centro: ille completam globi habet ideam; habet enim claras ſufficientium notarum ideas, quibus globus ab omni alio corpore diſcerni poteſt. §. 86. Notæ globi ſunt 1. corpus, 2. ſuperficies, 3. æqualis diſtantia, 4. centrum. Quod ſi quis harum rerum omnium diſtinctas tradere poteſt ideas, merito illius idea diſtinguenda eſt ab idea alterius cujusdam, qui diſtinctas iſtarum notarum ideas non habet, utut claras. *Datur* igitur omnino *differentia idearum completarum.*

§. 94.

Idea dicitur *Adæquata*, quando nonſolum totius rei, ſed & notarum plane omnium diſtinctas habemus ideas. E contrario idea dicitur *Inadæquata*, quando quidem totius rei diſtinctam, ſed notarum illius tantummodo claras habemus ideas. *Def. Idea Adæquata & Inadæquata.*

§. 95.

§. 95.

Ax. Ergo Idea adæquata pendet ab idea *diſtincta partiali*; idea autem inadæquata pendet ab idea *indiſtincta partiali.*

Ex. gr. Notæ, quibus *ratio* ab aliis animæ facultatibus diſcernitur, in eo conſiſtunt, ut ſit *perſpicientia nexus veritatum.* Quod ſi quis diſtinctas habet ideas perſpicientiæ, nexus, veritatum, eo ipſo totalis idea ſit *adæquata*; ſi diſtinctas iſtarum notarum ideas non habet, idea ipſius totalis eſt *inadæquata.*

§. 96.

Ax. Quo *plures* adſunt notæ, quarum diſtinctas habemus ideas, eo *magis adæquata* fit idea totalis; quo *pauciores* autem adſunt notæ, quarum diſtinctas habemus ideas, eo *magis inadæquata* eſt idea totalis.

Ex. gr. Qui nonſolum novit 1. globum eſſe corpus, cujus ſuperficies ubique æqualiter diſtet a centro; 2. corpus eſſe extenſum vi activa atque vi inertiæ præditum; ſed & 3. diſtinctas porro habet ideas Extenſi & virium inertiæ, illius idea totalis eſt adæquata, quo-

quoniam & notarum notas diſtincte novit.

§. 97.

Idea adæquata acquiritur ope attentionis. Demonſtr. Idea adæquata habet ideas diſtinctas notarum, §. 94. Ideæ diſtinctæ acquiruntur ope attentionis, §. 86. ergo & idea adæquata acquiritur ope attentionis. *Theor. Idea adæquata acquiritur ope attentionis.*

§. 98.

Ideæ adæquatæ de omnibus rebus homini non ſunt poſſibiles. Demonſtr. Non de omnibus rebus claras notarum ideas acquirere poſſumus, §. 76. ergo nec diſtinctas, §. 78. adæquatæ verô ideæ abſolvuntur diſtinctis notarum ideis, §. 94. ergo homini poſſibile non eſt, de omnibus rebus adæquatas acquirere ideas. *Theor. Non omnium rerum dantur ideæ adæquatæ.*

§. 99.

Quoniam itaque non omnium rerum adæquatas acquirere licet ideas, *ſubſiſtendum eſt in ideis cuilibet claris.* *Coroll.*

Quapropter *Euclides* non definiebat, quid ſit majus? quid minus?

nus? præſupponebat cuivis claras iſtorum eſſe ideas. Ex his omnibus itaque confirmatur, quod ſupra §. §. 11. 13. demonſtratum eſt, quod ſcilicet *omnis noſtra cognitio incipiat ab Experientia.* Experientiæ autem ſunt ideæ claræ.

Sectio Secunda.

De Differentia Idearum Materiali.

§. 100.

Exper. Datur differentia idearum Materialis.

DIfferunt ideæ noſtræ in *modo* repræſentandi, §. 66. differunt autem etiam in *re ipſa* repræſentata.

Ex. gr. Unus idemque homo habere poteſt ideam trianguli, & ideam circuli; utraque idea poteſt eſſe diſtincta, nihilominus utraque diverſa, dum utraque alia quadam re eſt occupata. Aliud enim eſt, repræſentare ſibi figuram tribus lineis incluſam; aliud autem, repræſentare ſibi figuram, cujus omnia puncta ab uno aliquo æqualiter

liter diſtant. Hæc *differentia, quæ deprehenditur in re repræſentata*, dicitur *Differentia idearum Materialis.*

§. 101.

Def. Individuum. Idea Individualis.

Omnes res, quas audimus, videmus, verbo, quas ſentimus, ita comparatæ ſunt, ut illarum notæ *ſimul ſumtæ* nulli alii competere queant rei. Et ita habemus *Individuum.* Ex. gr. Pentagonum, quod quinque latera æqualia habet, ſex digitos longa, creta circa horam diei nonam in hac tabula delineatum, hujusmodi notas habet, quas ſimul ſumtas nullum aliud Pentagonum per omnem terrarum orbem habere poteſt. Repræſentatio autem omnium harum notarum, quæ ſimul ſumtæ non niſi uni rei competunt, dicitur *Idea Individualis.* Cum jam omnes in univerſo res, quas audimus, videmus, verbo: Quas ſentimus, innumeræ ſint, etiam ideas individuales *innumeras* eſſe oportet.

§. 102.

Def. Caracteres eſſentiales & accidentales. Sunt autem nonnulli characteres ſ. notæ ita comparatæ in exemplo modo allato, ut earum præſentia ad conſtituendum pentagonum non ſit neceſſaria. Æqualitas laterum, longitudo per ſex digitos indicata, creta, tempus, locus &c. nihil faciunt ad conſtituendum pentagonum. E contrario ſpatium quinque incluſum lineis ſiſtit ideam pentagoni, facitque ut pentagonum ſit pentagonum. Iſtæ notæ, quæ conſtanter in re aliqua ſunt & eſſe debent, ut res id ſit, quod eſt, dicuntur *notæ Internæ ſ. Eſſentiales.* E contrario illæ notæ, quæ non conſtanter in re aliqua deprehenduntur, & ſine quibus res aliqua id eſſe poteſt, quod eſt, dicuntur *Externæ ſ. Accidentales.*

§. 103.

Ax. Neceſſe igitur eſt, ut omne individuum nonſolum per *eſſentiales*, ſed & per *accidentales* notas determinetur, quæ notæ ſimul ſumtæ nulli alii rei competunt. Ex.

Ex. gr. Quilibet diſcipulus habet primo notas eſſentiales, ut ſit homo erudiendus; hæ notæ faciunt, ut ſit diſcipulus. Deinde autem & accidentales habet notas, ex. gr. magnitudem ſuam, ſtatum, capacitatem, ætatem &c. quæ quidem determinationes non faciunt, ut ſit diſcipulus, faciunt autem ut ſit hic præciſe diſcipulus, non alius, adeoque individuum.

§. 104.

Experientia docet, quod tria latera æqualia Trianguli mihi repræſentare queam *abſtrahendo à reliquis notis omnibus.* Jam vero nota hæcce trium laterum æqualium in omnibus triangulis æquilateris deprehenditur; poſſum itaque notas quasdam, quæ multis Triangulis competunt, ſeparatim mihi repræſentare. Notæ multis individuis communes, dicuntur *Species*; ê contrario notæ, quas individuum aliquod, vel ſpecies ſibi ſoli vindicat, nec cum aliis communes habet, dicuntur *Differentia Specifica.* *Def. Species.*

§. 105.

Def. Genus & Notio univerſalis.

In idea Trianguli rectilinei æquilateri deprehendo aliquas notas, quas & in aliis Triangulis deprehendere licet, ſed & aliquas deprehendo, quas in aliis deprehendere non licet. Ex. gr. Omne Triangulum rectilineum includit ſpatium lineis rectis; ſed non omne Triangulum habet latera æqualia. Omiſſa igitur æqualitate laterum ſi priorem tantummodo notam retineo, *includere ſpatium lineis rectis*; habeo *notas pluribus ſpeciebus communes*. Illæ dicuntur *Genus*. Repræſentatio notarum pluribus individuis pluribusque ſpeciebus communium dicitur *Idea Univerſalis*. Quodſi & notam rectarum linearum omittis, retenta tantummodo nota de includendo ſpatio tribus lineis, habes notam, quæ omnibus triangulis & rectilineis & curvilineis communis eſt, adeoque *Genus ſuperius*, & *Ideam Univerſalem*.

§. 106.

§. 106.

Idea igitur univerſalis pendet ab extenſione charaↄterum ad plura. *Ax.*

Quo *pauciores* idea aliqua notas continet, eo *plures* dantur res, quibus illæ notæ competunt. Unica hæcce nota, *ſpatium lineis incluſum*, ad omnes omnino figuras extenditur. Hinc intelligitur veritas Axiomatis: *Quo minor eſt Comprehenſio, eo major eſt Extenſio. Comprehenſio* autem ideæ eſt complexus notarum ad ideam aliquam conſtituendam ſimul ſumendarum. *Extenſio* autem eſt complexus objectorum, quibus illa idea competit.

§. 107.

Ideæ univerſales fiunt abſtractione. Ideæ univerſales ſunt repræſentationes quarundam notarum pluribus competentium. Repræſentare ſibi unam alteramve notam absque reliquis, cum quibus aliâs unitæ ſunt, eſt *abſtrahere*. Ergo *ideæ univerſales fiunt abſtractione.* *Theor. Notiones Univerſales fiunt abſtractione.*

§. 108.

Ideæ univerſales ergo quidem *utiles* ſunt, ſed paulo *difficiliores.* *Coroll.*

Sunt *utiles*:

1. *Quoniam multa perſpicuitate ſeſe commendant.* Habent enim paucas notas, §. 105. hæ facile diſcerni poſſunt, adeoque diſtinctam tradunt ideam. §. 82.

2. *Quoniam ad bene multa ſeſe extendunt.* §. 106. Earum igitur adminiculo facile reperiuntur propoſitiones pluribus rebus communes. Ex. gr. Qui novit generatim, quod affectus ſit vehementior gradus cupiditatis aut averſationis ſenſitivæ, e confuſa boni malive repræſentatione oriundus; ille jure ſuo has notas ad omnes affectus, iræ, invidiæ, amoris, lætitiæ &c. applicare poterit, ſecundum regulam: Quidquid competit generi, competit etiam ſpeciei ſub illo genere contentæ.

Sunt vero etiam paulo *difficiliores*:

1. *Quoniam fiunt abſtractione.* Abſtracta non cadunt in ſenſus;

ſus; quis enim unquam vidit virtutem, aut caſtitatem? imaginatio itaque heîc nihil habet negotii, & hinc origo difficultatis.

2. *Quando ab ideis univerſalibus initium fit, juventuti ſane difficilis redditur acquiſitio idearum.* Omnis enim cognitio noſtra incipit a ſenſationibus, §. 11. Univerſalia autem & abſtracta non cadunt in ſenſus. Hinc difficile imo plane impoſſibile eſt abſtractas ſibi formare ideas, quando naturalem cogitandi viam deſerimus, aut pervertimus, nec a rebus ſenſibus obviis incipimus, pergendo ab iis ad abſtracta. Experiuntur id juniores litterarum ſtudioſi, quando Metaphyſicam & inprimis in ea Ontologiam tractare incipiunt, nec â concretis primo ducuntur ad abſtracta.

§. 109.

Def. Idea Arbitraria. Quando e notis, quas in re quapiam deprehendo, nonnullas rejicio, nonnullas autem retineo, retentisque unam alteramve, quas in aliis rebus animadvertere licuit, pro arbitrio addo; habeo *Ideam Arbitrariam*, i. e. repræſentationem quarundam notarum, quæ pro arbitrio meo in re quapiam unitæ ſunt.

Ex. gr. Si ê notis, quas in homine deprehendo, rationem ſumo, eique appono notam perfectionis, habeo ideam *arbitrariam* perfectæ rationis. Poteſt autem hujusmodi conjunctio notarum multipliciter fieri; ex. gr. *Compoſitione*; ſi concipio veſtem ſtramineam, compono ideam veſtis & ideam ſtraminis; *Ampliatione*, quando ex. gr. ex homine conſuetæ magnitudinis gigantem efformamus; *Diminutione*, quando ex eodem homine Pygmæum effingimus; *Mixtione*, quando alteram partem ampliamus, alteram minuimus; ex. gr. quando ex homine ordinario Monſtrum efformamus, altero corporis membro juſto majore,

jore, altero autem juſto minore; *Multiplicatione partium*, ex. gr. quando ex homine ordinario concipio Janum bifrontem; *Demtione partium*, quando ex. gr. ex eodem homine ordinario concipio Cyclopem Monoculum; *Electione partium*; ex. gr. quando ex ideis hortorum plurium immediate perceptorum novum effingo hortum, qui ex omnibus aliquid participat, reliquis omiſſis, & quæ ſunt alia hujus generis plura. Quis autem non videt, hujusmodi ideas eſſe arbitrarias?

§. 110.

Theor. Veritas notionis arbitrariæ demonſtranda vel rationibus vel experientia.

Veritas ideæ arbitrariæ demonſtranda vel rationibus vel experientia. In idea arbitraria notæ pro arbitrario conjunguntur, §. 109. noſtrum vero arbitrium præſtare nequit, ut notæ iſtæ actu in re quapiam deprehendantur; quam ob cauſam demonſtrari debet, quod hujusmodi res vel actu dentur, vel minimum poſſibiles ſint, in quibus iſtæ notæ ita conjunctæ deprehendantur. Quidquid demonſtratur, aut rationibus demonſtrandum eſt, aut

aut experientia. Ergo veritas Idearum Arbitrariarum aut rationibus demonſtranda eſt, aut experientia.

Ex. gr. Poſſibilitas perfectiſſimæ rationis demonſtratur ex eo, quod nullam contradictionem involvit, quando notæ perfectionis & rationis conjunguntur. Quod autem nullam involvit contradictionem eſt poſſibile. A poſſe autem ad eſſe non valet conſequentia. Quapropter etiamſi demonſtratum eſſet, ideam perpetui mobilis nullam involvere contradictionem, adeoque poſſibilem eſſe, adhuc tamen neceſſe eſſet, etiam illius demonſtrare actualitatem. Id fit per experientiam. Ita quondam Alchymiſta quidam Profeſſori Helmſtadienſi, Martini, realitatem artis ſuæ experimento in ipſius præſentia facto demonſtraſſe, ipſique aurum e plombo factum tradidiſſe dicitur his verbis: *Solve mihi hunc Syllogiſmum.*

§. III.

Scholi. De utilitate Idea Arbitraria.

Ideæ arbitrariæ, licet ab arbitrio noſtro pendeant, *inutiles tamen non ſunt.* Iis maxime debemus originem multarum artium, machi-

machinarum,medicamentorum &c. Primi enim inventores dum notas unius rei cum notis alterius cujusdam conjungebant, ideam acquiſiverunt rei penitus novæ. Ita duobus abhinc luſtris inventum eſt Clavicembalum coloratum, i. e. Machina ſeu Inſtrumentum, quo per multipliciter variatas ſeptem colorum principalium repræſentationes eodem modo delectantur oculi, quo aures per multiplicem ſeptem tonorum principalium variationem delectantur. Actualitatem illius experientia fortaſſis aliquando demonſtrabit, quemadmodum poſſibilitas illius dudum eſt demonſtrata.

§. 112.

Quando omnes hactenus conſideratas idearum ſpecies breviter repetimus, triplici modo nos noſtras acquirere ideas deprehendimus: *Schol. Triplex ratio obtinendi ideas.*

1. *Ope ſenſuum* cum attentione adhibitorum acquirimus ideas claras, §. 73. diſtinctas, §. 83. completas, §. 90. adæquatas, §. 97. 2. *Ope*

2. *Ope abſtractionis* acquirimus ideas univerſales, §. 107.
3. *Ope voluntariæ combinationis* acquirimus ideas arbitrarias, §. 109.

Sectio Tertia.
De uſu Vocum ſeu Terminorum.

§. 113.

Exper. Origo ſignorum quibus ideas exprimimus.

QUoniam homines in ſocietate vivunt, & ad eam ab optimo creatore conditi ſunt: neceſſe omnino eſt, ut *ideas ſuas animique ſenſa alii cum aliis communicent.* Quomodo enim alter alteri mentem ſuam aperire, alter alterum ſublevare, alter alteri ſuas neceſſitates detegere &c. poſſet, ſi ſignis deſtituti eſſent, quibus cogitationes ſuas repræſentare & quaſi expreſſam ſuæ mentis imaginem aliis ſiſtere poſſent, ita ut idem cogitare queant, quod ipſi cogitant. Com-

Communis adeoque utilitas communisque neceſſitas origo ſunt atque cauſa ſignorum, quibus noſtras aliis cogitationes exprimimus. Signa autem ipſa varia ſunt, quorum non nulla in *oculos* cadunt, nonnulla in *aures*. Illis annumerantur geſtus, nutus, characteres, imagines &c. Hæc autem generatim abſolvuntur voce vel ſono. Docet enim experientia, quod omnia animalia pulmone prædita, inprimis verô homines, per multiplicem preſſionem trachearum varios edere queant ſonos, tanquam cogitationum ſuarum ſigna.

§. 114.

Theor. Soni ſunt ſigna arbitraria.

Inter innumeros, quos homo edere poteſt, ſonos, nullus deprehenditur, qui neceſſario hanc vel illam ideam indicare deberet, ex. gr. ideam ædificii. E contrario nulla quoque datur cogitatio, quæ neceſſario per hanc vel illam vocem indicari deberet atque exprimi, & non per aliam. Linguarum

rum multitudo docet potius, quod quælibet cogitatio variis indicari queat vocibus. Ex. gr. Haus, domus, maiſon, οἰκία &c. unam eandemque rem deſignant. Debuerunt itaque homines ab initio conſentire in voces rebus his & aliis deſignandis deſtinatas. Quod autem in ſe neceſſarium non eſt, ſed ex voluntate noſtra pendet, eſt arbitrarium. *Soni igitur tanquam ſigna cogitationum noſtrarum ſunt ſigna arbitraria.*

§. 115.

Def. Vox ſ. Terminus.

Soni, quos homines tanquam ſigna cogitationum ſuarum adhibere ſolent, dicuntur *Voces ſ. Termini.* Termini ſcripti ſunt ſigna ſonorum, adeoque etiam ſigna cogitationum. Soni verô, qui nunquam ut ſigna cogitationum ſunt adhibiti, dicuntur Voces caſſæ ſ. inanes. Ex. gr. Abracadabra, Sicucuma &c. plura vid. in Caton. de R. R. c. 160. Eodem cenſu veniunt & illæ voces compoſitæ, quæ ſeparatim quidem ideam deſignant,

ſignant, conjunctim vero minus. Ex. gr. Circulus quadratus.

§. 116.

Ex his patet, quod *Ax.*

1. Vox quælibet conjuncta cum idea; &
2. Quod vox, cui non juncta eſt idea, ſit vox caſſa; ſeu inanis

§. 117.

Jure igitur tot debebant eſſe voces, quot ſunt ideæ. Quoniam vero ideæ noſtræ partim individuales, §. 101. partim communes ſeu univerſales ſunt, §. 104. individuorum autem, adeoque etiam idearum individualium tam incredibilis multitudo eſt, §. 101. etiam incredibilis & innumera vocum exiſtere deberet multitudo, cum quodlibet graminulum, quilibet pulviſculus peculiari voce denotandus eſſet. Ut itaque homo hoc infinito labore, in ediſcenda tanta vocum multitudine impendendo, ſuperſedere poſſet: divina factum eſt providentia, ut ex- *Schol. De vocum ſignificatione & copia.*

exceptis nominibus propriis voces noſtræ nonniſi cum univerſalibus conjungantur ideis. Ex. gr. *liber*, *menſa*, *ſpeculum*, *homo*, *anima &c.* ſunt voces cum univerſalibus conjunctæ ideis. §. 104. Nihilominus harum vocum tanta multitudo eſt, ut linqua latina circiter quindecim, vernacula circiter viginti & græca circiter triginta numeret millia.

§. 118.

Def. Quid ſit intelligere alterum.

Pone Germanum aliquem convenire Gallum, ita ut Germanus germanice, Gallus autem gallice loquatur: neuter ſane alterum intelliget, niſi uterque alterius quoque didicerit linguam. Cauſa in eo eſt, quod Germanus cum vocibus gallicis non easdem conjungere poteſt ideas, quas Gallus cum iisdem conjungit. Si ergo alter alterum loquentem intelligere vult, neceſſe eſt, ut uterque cum iisdem vocibus easdem conjungere ſciat ideas. Ea propter *vocem aliquam explicare*

care nihil aliud eſt, quam indicare ideam, quæ cum voce iſta ſolet conjungi.

§. 119.

Pone duos multum diſputare de Fide, quorum alter per fidem intelligit doctrinam ad normam verbi divini attemperatam, i. e. *fidem, quæ creditur*; alter vero fiducialem in gratiam Dei per Jeſum Chriſtum partam aſſenſum, quem Spiritus ſanctus operatur in cordibus, i. e. *fidem, quâ creditur*: manifeſtum eſt, quod non uterque cum eadem voce eandem conjungat ideam, ut adeo alter alterum intelligere nequeat. §. 118. Quodſi jam eorum alter aſſereret, quod homo voluptuoſus poſſit habere fidem, alter autem id negaret, *Logomachia* inter ipſos orietur, i. e. decertatio de propoſitionis alicujus veritate, de qua litigaturi non eſſent, ſi ſe mutuo intelligerent, i. e. *ſi easdem ideas cum iisdem vocibus conjungerent.* *Def. Logomachia.*

§. 120.

Coroll. Qui ergo Logomachias evitare cupiunt, ideas ſuas, quas cum vocibus conjungunt, aliis indicare debent; id autem eſt *explicare* voces ſuas.

§. 121.

Def. Termini Obſcuri, Clari. *Qualis idea, talis Terminus.* Quando igitur cum Termino aliquo idea obſcura conjungitur, *Terminus* ille adpellatur *obſcurus*; quando autem clara, *clarus*. Ex. gr. Scholaſticorum anima vegetativa, Entelechia Ariſtotelis ſunt Termini obſcuri, quoniam obſcuræ cum iis conjunguntur Ideæ.

§. 122.

Theor. Termini obſcuri intelligi nequeunt. Si idea eſt obſcura, rem per eam repræſentatam ab omnibus aliis diſtinguere nequeo. §. 67. Quoniam ergo Terminus obſcurus cum idea obſcura conjunctus eſt, §. 111. per Terminum obſcurum id mihi repræſentare non poſſum, quod alter ſibi repræſentat, adeoque illum intelligere nequeo; §. 118. *Termini ergo obſcuri intelligi nequeunt.* §. 123.

§. 123.

Fieri poteſt, ut ego vocibus: Vita Chriſti in nobis, claram conjungere queam ideam, experientia ſcilicet edoctus. §. 73. Alter experientia deſtitutus obſcuram cum illis vocibus connectit ideam. Illi ergo eſt terminus obſcurus, mihi vero clarus. §. 121. *Terminus ergo mihi clarus, poteſt alteri eſſe obſcurus.*

Theor. Terminus clarus poteſt alteri eſſe obſcurus.

§. 124.

Clarum & obſcurum eſſe, ſunt Termini *relativi*, pendentes a cognitione hominum, quibus aliquid vel clarum eſt, vel obſcurum. Quodſi homines non ea eſſent arrogantia, ut intellectui ſuo, arctis circumſcripto limitibus, ſuæque experientiæ ſæpius inſufficienti nimium tribuere vellent; ut adeo ſibi perſuaderent, fieri poſſe, ut alii claram habeant ideam, ipſi autem obſcuram â multis ſane ſibi cavere poſſent litigationibus atque peccatis.

Schol.

§. 125.

Def. Terminus fixus & Vagus.

Levitas hominum in ſermocinando fecit, ut cum uno eodemque Termino non una eademque ſemper conjungatur idea. Ita ex. gr. Mundus nunc univerſum hocce, quando dicitur: Deus creavit Mundum; vel Mundus eſt optimus; nunc homines tantum, quando dicitur: Deus amavit Mundum &c. denotet. Talis Terminus, cum quo non conſtanter eadem conjungitur idea, dicitur: *Vagus*, *indeterminatus*, *æquivocus.* E contrario Terminus, cum quo conſtanter eadem conjungitur idea, adpellatur *Fixus*, *determinatus*, *univocus.* Ex. gr. Globus in Matheſi conſtanter denotat corpus, cujus omnia ſuperficiei puncta a centro æqualiter diſtant.

§. 126.

Theor. Terminus Vagus ſine explicatione intelligi nequit.

Quodſi quis indeterminata voce Mundi mihi diceret: Mundus hic non eſt optimus, intelligere iſtum non poſſem, ignarus quippe, utrum hypotheſin iſtam, de Mundo optimo,

mo, negare, an verô utrum per Terminum, Mundus, tantummodo homines eorumque malos mores indicare velit? Neceſſe igitur eſſet, ut Terminum Mundi explicaret. *Terminus itaque vagus ſine explicatione intelligi nequit.*

§. 127.

Schol. Fere omnes omnium linguarum termini abierunt in terminos vagos & indeterminatos, ita ut non pauci e latina, gallica &c. lingua decem, imo viginti habeant poteſtates. Horrenda ſane hæc eſt rerum confuſio, & in addiſcendis linguis difficultas fere inſuperabilis; ſubeſt autem etiam occulta Dei manus dirigens, qui hominem per varios labores in rebus hujus mundi eo citius defatigatum eſſe cupit, ut ad meliora ſuas appetendi vires extendat.

§. 128.

Def. Terminus Proprius & Improprius ſ. translatus vel Metaphoricus. Terminus Lucis proprie denotat aliquid, quod res circumſtantes facit viſibiles. Quoniam itaque intellectus, tanquam facultas ani-

 mæ

mæ res ſibi repræſentandi, aliquid ſimile habet cum luce, quæ res viſibiles facit, etiam intellectus adpellari interdum ſolet Lux animæ. Quivis autem facile perſpicit, quod in caſu priore Terminus Lucis proprio adhibeatur ſenſu, in poſteriore autem caſu, improprio ſenſu. Datur igitur nova Terminorum diviſio. *Terminus Proprius* eſt, qui cum ea conjunctus eſt idea, cui indigitandæ primum & originaliter eſt diſtinatus. *Terminus Improprius ſeu Metaphoricus* eſt, qui cum ea conjungitur idea, quæ aliquid ſimile habet cum illa, cui indigitandæ primum & originaliter eſt deſtinatus. ex. gr. terminus: vulpes, jam animal quadrupes, jam hominem aſtutum denotat.

§. 129.

Schol. Etiam id auget linguarum diſcendarum difficultates, quod tam *frequens* Terminorum impropriorum ſ. Metaphoricorum uſus eſt inter homines. Omnis ſimilitudo etiam ex parte diſſimilis eſt, ſecun-

cundum tritum adagium. Sæpius itaque fieri poteſt, ut Metaphoricis decipiamur terminis.

§. 130.

Theor. Terminus Improprius vagus eſt & ſine explicatione intelligi nequit.

Quoniam itaque Terminus Improprius non cum ea conjungitur idea, cui indigitandæ originaliter fuerat deſtinatus; §. 128. referendus eſt ad eos Terminos, cum quibus non conſtanter eadem conjungitur idea, & hinc eſt Terminus Vagus & indeterminatus, §. 115. adeoque *ſine explicatione* intelligi nequit. §. *116*.

§. 131.

Def. Multiplex Terminorum diſcrimen.

Variæ adhuc dantur Terminorum diviſiones, quæ quidem non omnes ejusdem ſunt utilitatis. Ita

1. Termini, qui multiplicem habent poteſtatem, dicuntur *Homonymi* ; ex. gr. Lupus Ein Wolf, ein Hecht, eine Kranckheit, ein Gebiß, &c. hujusmodi Termini ergo ſunt indeterminati. §. 125.

2. Termini, quorum alter ab altero, ſervata iſtius generis ſignificatione, derivatur, dicuntur *Paronymi*. Ex. gr. Eruditus, eruditio.
3. Termini eandem poteſtatem habentes dicuntur *Synonymi*. Ex. gr. flumen, fluvius.
4. Termini *Categorematici* dicuntur illi Termini, qui talem denotant ideam, quæ per ſe poteſt intelligi. Ex. gr. omnia ſubſtantiva & ſubſtantive poſita. *Syncategorematici* vero dicuntur Termini, qui talem denotant ideam, quæ per ſe non eſt intelligibilis. Ex. gr. particulæ, adjectiva, caſus obliqui, &c.
5. *Terminus complexus* conſtat uno pluribusve terminis compoſitis, qui plures quoque denotant ideas. Ex. gr. lapis calidus. Incomplexus vero conſtat uno pluribusve terminis compoſitis, unam tantummodo ideam denotantibus. Ex. gr. aurifaber.

6.

6. *Terminus Finitus* eſt terminus, qui certam & determinatam denotat ideam. Ex. gr. Diſcipulus. *Terminus infinitus* eſt terminus qui nullam certam & determinatam denotat ideam. Ex. gr. Non homo. Indicat, quid res aliqua non ſit, non vero quid ſit.

7. *Terminus comparatus* eſt terminus, qui intelligi nequit, niſi alium adjunxeris terminum, cum quo comparatur. Ex gr. Roma major eſt. Terminum, Major, intelligere nequeo, niſi illi adjungatur alius Terminus aliam quandam urbem denotans. *Terminus Abſolutus* eſt Terminus, qui per ſe intelligitur, quoniam cum nullo alio comparatur. Ex. gr. Deus.

8. *Terminus Abſtractus* eſt Terminus, qui unam pluresve denotat rei alicujus notas, absque re, cui illæ notæ inſunt. Ex,

Ex. gr. Pietas. Concretus eſt Terminus, qui rem cum notis ipſi inexiſtentibus denotat. Ex.gr. Pius. Ergo omnia fere adjectiva ſunt Termini concreti; & plurima ſubſtantiva ſunt Termini abſtracti.

§. 132.

Theor. Quoniam homines per voces mentis ſuæ cogitata cum aliis communicant, §. 113. alter vero alterum intelligere nequit, quando non easdem cum vocibus iisdem conjungit ideas; §. 118. exinde clarum eſt, quod generatim in omni verborum uſu, adeoque etiam in ſtilo philoſophico abſtinendum ſit

1. A Terminis mente caſſis; ſ. inanibus; cum his enim nulla conjuncta eſt idea. §. 115.
2. A Terminis obſcuris, quoniam intelligi nequeunt. §. 122.
3. A Terminis Vagis, quando non additur earum explicatio. §. 126.

4. A

4. A Terminis Tranſlatis ſ. Metaphoricis, §. 128. niſi & his addatur eorum explicatio.

§. 133.

Coroll.

E contrario in Philoſophia nonſolum, ſed & in communi verborum uſu utendum eſt.

1. Terminis claris, quoniam intelligi poſſunt. §. 122.
2. Terminis determinatis, §. 126.
3. Terminis propriis.
4. Generatim Terminis antea explicatis; hi enim intelligi poſſunt. §. 121.

§. 134.

Theor. In explicandis vocibus attendendum eſt ad uſum loquendi.

Quoniam noſtrum non eſt condere demum linguas atque terminos, ſed receptis jam uti: etiam noſtrum non eſt, pro lubitu noſtro cum terminis conjungere ideas, terminosque pro lubitu noſtro explicare; §. 118. ita enim ſumma inter homines inveheretur confuſio. Attendum igitur eſt *ad uſum loquendi*, ut animadvertamus, quænam ideæ cum his vel illis terminis ſint con-

conjunctæ. Univerſalis hæcce conſuetudo adpellatur uſus loquendi. *In explicandis ergo vocibus attendendum eſt ad uſum loquendi.*

§. 135.

Schol. Utinam non tam ſæpe, uti fieri ſolet, philoſophi contra hanc peccarent regulam, ad quotidianum loquendi uſum parum attendentes, absque urgente neceſſitate terminorum poteſtates immutando. Poſſet huc referri iſtud Anaxagoræ, qui nivem non albam eſſe contenderat; & recentioris cujusdam Phyſici, qui atrum contenderat eſſe album.

§. 136.

Theor. Termini obſcuri, vagi, improprii, ſunt explicandi & determinandi.

Quodſi vero uſus loquendi terminos obſcuros, vagos & improprios exhibet, illi termini prius ſunt explicandi atque determinandi. Termini obſcuri, vagi & metaphorici ſine explicatione intelligi nequeunt. §. 122. 126. 128. Utimur autem terminis eo fine, ut cum aliis noſtras communicemus cogitationes. §. 113. ergo *termini obſcu-*

obſcuri, vagi, & metaphorici prius ſunt explicandi.

Ex. gr. Terminus *Mundi* ex uſu loquendi *vagus* eſt. Alter dicit, Mundum eſſe malum & falſum; & per mundum intelligit homines. Alter dicit: hic Mundus eſt optimus, & intelligit univerſum hocce a Deo creatum. Si ergo utendum eſt hocce termino, inprimis in tradenda aliqua diſciplina, neceſſe eſt, ut iſtum antea explicemus.

§. 137.

Probl. Invenire ſignificationem Vocum ex uſu loquendi.

Quodſi indagandum eſſet, quænam idea, ex uſu communi loquendi, conjungatur cum termino, *Optimus*: neceſſe eſſet, ut quaſdam locutiones conſuetas, in quibus terminus hicce adhibetur, nobis proponeremus. Ex. gr. ille diſcipulus adpellatur *optimus*, qui in linguis atque ſcientiis maximos inter commilitones ſuæ claſſis facit profectus. Illæ fabæ aduſtæ, Coffeé, adpellantur *optimæ*, quæ ex Aſia, præcipue Natolia afferuntur. Illud conſilium adpellatur optimum,

mum, quod nos via breviſſima, certiſſima atque facillima ducit ad ſcopum obtinendum. &c. Ex his exemplis patet, terminum *Optimi* ex uſu loquendi eſſe vagum & indeterminatum; opus igitur habet explicatione. §. 126. Ab uſu loquendi autem decedendum non eſt; §. 124. ea propter retinenda aliqua idea ex illis, quas uſus loquendi cum illo termino conjunxit, & quidem iſta, quæ ad rem præſentem maxime quadrat. Quando itaque terminum *optimi*, cum termino *Mundi* conjungo, atque dico: Mundus præſens eſt optimus, hæc mea mens erit. Mundus eſt ille nexus rerum creatarum omnium, per quem Deus ſcopum ſuum, creatione mundi intentum, nimirum manifeſtationem gloriæ ſuæ, via breviſſima, certiſſima atque facillima obtinere poteſt.

Ex his itaque ſequentes fluunt regulæ, ab eo obſervandæ, qui poteſtatem termini cujusdam ex uſu loquendi reperire cupit, ut

1. Ca-

1. Caſus & occaſiones quaſdam præcipuas, in quibus ille terminus, cujus poteſtas indagatur, adhiberi ſolet, ſibi proponat.
2. Attendat ad eam notionem, propter quam terminus in locutione adhibetur. Ita veram termini poteſtatem reperiet.
3. Si vero terminus ſit vagus, retinenda eſt illa idea, quæ ad rem præſentem maxime quadrat.

§. 138.

Probl. Invenire ſignificationem Vocum in ſcriptoribus.

Eodem modo etiam poteſtates terminorum, quibus ſcriptor aliquis utitur, indagandæ ſunt. Qualiscunque ille ſcriptor ſit, ſive Philoſophus ſive Medicus, ſ. latinus ſ. græcus, terminis ſuis ex communi loquendi uſu cenſetur uti. Illius igitur terminos pro lubitu explicare non licet; verum potius aut ex terminorum explicatione, ſi forte ſcriptor iſtam adjecit, aut deficiente ipſius expli-

catione, ex uſu loquendi determinanda res eſt. §. 124. Secundum easdem igitur agendum eſt regulas, ſecundum quas terminorum poteſtates ex uſu loquendi reperiuntur. §. 137.

Ex. gr. Si ex mente Senecæ indaganda eſſet poteſtas termini, Deus; neceſſe eſſet, ut quasdam locutiones Senecæ, in quibus mentem ſuam maxime detegit, mihi proponerem. Ex. gr. Ep. 92. ait Seneca: Quid eſt, cur non exiſtimes in eo divini aliquid exiſtere, qui Dei pars eſt. Totum hoc, quo continemur, & unum eſt & Deus: & ſocii ejus ſumus & membra. De benef. l. IV. c. 8. Nec natura ſine Deo eſt, nec Deus ſine natura; ſed idem eſt utrumque, nec diſtat. Vid. etiam Conſol. ad Helvid. c. 6. Ex his inter ſe collatis, facile eſt invenire, quod Seneca, uti omnes Stoici, & recentius Spinoza, mundum hunc pro Deo habuerit.

* ** *
** * **

Sectio

Sectio Quarta.
De
Definitionibus.

§. 139.

SI cui dico: Gaudium eſt inſignis gradus voluptatis ex fruitione rei cujusdam, quæ pro bona habetur, perceptæ: illi notionem meam gaudii verbis exprimo. Hæc autem notio eſt diſtincta & completa, quoniam omnes iſtas continet notas, quibus gaudium ab omni alio affectu diſtinguitur. §. 78. Notio diſtincta completa, verbis expreſſa, adpellatur Definitio; Terminus, qui iſtam denotat ideam, adpellatur Definitum. *Def. Definitio & Definitum.*

Ex. gr. Eclipſis Solis eſt privatio lucis ſolaris in novilunio. Terminus, Eclipſis Solis, eſt definitum; privatio lucis ſolaris in novilunio, eſt Definitio.

§. 140.

Ex his manifeſtum eſt, quod *Coroll.*

1. Definitio omnes continere debeat notas, quæ ad diſtinguendum Definitum ſufficiunt. Aliâs enim non eſſet idea completa. §. 86. quod

2. Notæ in Definitione occurrentes non niſi Definito competere queant. Alias enim non eſſent notæ, §. 68. per quas Definitum ab aliis rebus diſcerni poſſet.

3. In definitione non deprehendi debeant notæ accidentales ſ. externæ; nam illæ non ſunt conſtantes, §. 102. adeoque non ſemper & ubique rem quandam ab omnibus aliis diſtinguunt. Ex. gr. Fulgur eſt inflammatio partium ſulphurearum in nubibus. Fulgur etiam inflammatur in terra.

4. Quod adeo Definitio non niſi Eſſentiales continere debeat notas; illæ enim ſunt conſtantes. §. 102.

5. Quod

5. Quod ergo in Definitione (Nominali) genus & differentia ſpecifica requiratur. Illud enim continet notas pluribus ſpeciebus communes. §. 105. hæc autem continet notas rei alicui proprias. Utrumque, minimum differentia ſpecifica, vi Nr. 1. & 2. in definitione ponatur neceſſe eſt.

6. Denique, quod Definitio negative non ſit concipienda. Ex. gr. Spiritus eſt, qui carnem & oſſa non habet; hæ enim notæ non ſunt notæ ſpiritus, ſed hominis, qui corpus habet. Quapropter optimus Salvator his verbis uſus eſt eo fine, ut diſcipulis ſuis demonſtraret, ſe eſſe verum hominem, qui corpus habeat, ſed glorificatum. Abſurde igitur agunt, qui Dominum Salvatorem iis verbis definitionem Spiritus tradere voluiſſe putant.

§. 141.

Def. Definitio latior. Definitio, quæ ejusmodi continet notas, quæ, præter definitam rem, etiam aliis competunt rebus, adpellatur *Definitio juſto latior.*

Ex. gr. Stella eſt corpus, quod noctu lucet. Hæc definitio continet notas etiam Lunæ communes. Luna autem non eſt ſtella. Eſt ergo Definitio juſto latior.

anguſtior Definitio, quæ ejusmodi notas continet, quæ non omnibus ad definitum pertinentibus, competunt, adpellatur *Definitio juſto anguſtior.*

Ex. gr. Triangulum eſt ſpatium tribus lineis rectis incluſum. Tres lineæ rectæ notam exhibent, quæ Triangulis curvilineis non competit. Eſt igitur Definitio juſto anguſtior.

adæquata. Definitio autem, quæ omnes illas continet notas, quæ ſoli definito competunt, illudque ab omnibus aliis rebus diſtinguunt, adpellatur *Definitio adæquata.*

Ex. gr. Pietas eſt habitus, actiones ſuas ad divini numinis gloriam dirigendi.

rigendi. Tenacitas eſt ſtudium juſto minus expendendi. Hæ notæ ſoli definito ac ſemper & ubique competunt, ut adeo ab omnibus aliis diſcerni per eas queat. Definitiones ergo ſunt adæquatæ.

§. 142.

Ex his ſequentia demonſtrari facile poſſunt; *Theor.*

1. Definitio nec latior ſit, nec anguſtior; alias enim non eſt idea completa.
2. Definitio vero ſit adæquata. §. 141.
3. Definitio non ſit abundans. Ex. gr. Horologium eſt machina, ab artifice e metallo vel ligno confecta, quæ vel rotatione indicis vel campanæ pulſu horas indicat, ut tempus menſurare, noſtrosque labores ad illud recte inſtituere queamus. Habes hic cauſam efficientem, finalem, materialem, formalem, quarum nonnullis egregie carere potuiſſes.

4. Definitio & Definitum reciprocantur. Ex. gr. Idem erit ruſtico, ſi illi dixeris: Dabo tibi bacùm; vel: Dabo tibi partem decimam quintam florini; adeo vulgaris eſt hæc regula.
5. Definitio & Definitum revera ſunt idem. Quorum enim unum in alterius locum poteſt ſubſtitui, illa ſunt eadem.
6. Cui competit definitio, illi etiam competit definitum. Ex. gr. Cajus Titium adpellat inimicum; nam, ait, omnes tuæ actiones tendunt ad meam perniciem. Ille autem meus eſt inimicus, cujus actiones ad meam tendunt perniciem.

§. 143.

Theor. Non omnium rerum dantur Definitiones.

Non omnium rerum dantur definitiones. Non omnium rerum claras habere poſſumus ideas; §. 76. adeoque nec diſtinctas. §. 78. Definitiones autem ſunt ideæ diſtinctæ; §. 139. *ergo non omnium rerum dantur definitiones.* Et

Et ita demonſtratum eſt, quod ſupra §. 38. fuerat dictum.

§. 144.

Si Definitio idea diſtincta verbis expreſſa, eſſe debet, §. 139. claram notarum contineat ideam neceſſe eſt. §. 78. Cum jam illi termini, qui claram denotant ideam, adpellentur clari; §. 121. *Definitiones concipiendæ ſunt terminis claris.* *Theor. Definitiones concepta ſint terminis claris.*

Quoniam autem alteri terminus clarus eſſe poteſt, qui alteri eſt obſcurus; §. 124. ſemper hoc ſenſu accipiendum eſt hocce theorema: *Definitiones concipiendæ ſunt terminis, illi claris, in cujus gratiam concipitur definitio.* Ex. gr. Parabola eſt linea curva, in qua quadratum ſemi ordinatæ æquale eſt Rectangulo ex abſciſſa in parametrum. Hæc definitio terminis expreſſa eſt, qui clari ſunt Mathematico. Matheſeos ignaro dicere deberem: parabola eſt linea curva, quæ in externa parte coni abſciſſi repræſentatur, quando pars aliqua coni, parallele, cum latere coni, abſciſſa eſt. Forſan & hi termini multis ſunt obſcuri.

§. 145.

Coroll. Ex his ſequentia fluunt Theoremata:

1. Ex definitione exulent termini obſcuri.

Inepta igitur eſt definitio Angeli, quam Bonoventura dedit in Compend. Theol. Verit. Tit. II. c. 11. quod ſit ſubſtantia qualitercunque compoſita, ſcilicet ex eo, quod eſt, & quo eſt. Scotus, Diminutionem ita definit: Eſt modificatio termini repugnantis vel disconvenientis alteri extremo per oppoſitionem determinationis minuentis vim repugnantiæ vel disconvenientiæ. Quæſo! quis hæc intelligat?

2. Termini, qui definitionem ingrediuntur, niſi per ſe clari fuerint, prius explicentur.

Aliâs enim eſſent Termini obſcuri, qui ex definitione exulent. Ex. gr. Dolor eſt ſolutio continui. Quid ſit ſolutio? quid continuum? prius explicandum eſt.

3. Termini in definitionibus ſecundum uſum loquendi adhibeantur. §. 134.

4. Ter-

4. Termini Synonymi, vagi & improprii definitionem non ingrediantur.

Ex. gr. Infinitum eſt, quod nullos habet limites. Infinitum eſſe, & nullos habere limites, ſunt termini Synonymi, adeoque indeterminati. §. 131. Chriſtianus eſt, qui veram fidem habet. Fides, eſt terminus vagus; nunc enim denotat fidem, quæ creditur, nunc autem fidem, qua creditur. Intellectus eſt lux animæ, per quam res ſole meridiano clarius concipiuntur. Hi termini ſunt metaphorici. Termini autem vagi & metaphorici ſine explicatione intelligi nequeunt. §. 126. 130.

5. Multo minus idem per idem definiatur.

Ex. gr. Sapientia eſt in homine id, per quod ſapiens eſt. Definitio continere debet notas; §. 140. 1. hæ notæ diverſæ ſint neceſſe eſt a definito.

6. Adeoque etiam Circulus in definiendo admittendus non eſt.

Ex. gr. Doctus eſt, qui litteris operam dedit. Litteris operam dant homi-

homines, quando laborant ut fiant docti. Cum enim Circulus committatur in definiendo, quando definitionem unius ingreditur definitum alterius; circulo nihil aliud fit, quam ut idem per idem explicatur, contra Nr. 5.

§. 146.

Probl: Definitionem examinare num juſta ſit, nec ne?

Quodſi Definitio Subſtantiæ, quam Spinoza dedit, & cui totum ſuum Syſtema ſuperinſtruxit, eſſet indaganda & examinanda, illud examen ſecundum ſaniora Logicæ principia ita eſſet inſtituendum. Ipſa Definitio Spinozæ ita ſe habet: Subſtantia eſt id, quod in ſe eſt & per ſe concipitur; hoc eſt id, cujus conceptus non indiget alterius rei, a qua formari debeat. In Ethic. P. 1. Def. 3. Diſpiciendum in hac definitione eſſet:

I. *Ratione Notarum* juxta §. 140.

1. Utrum ſufficientes adſint notæ?
2. Utrum notæ aliis quoque rebus competant, nec ne?

3. Utrum

3. Utrum in definitione nullæ adſint notæ externæ?
4. Utrum tantummodo eſſentiales adſint notæ?
5. Utrum genus & differentia ſpecifica exhibeatur?
6. Utrum definitio tantummodo dicat, quid res non ſit?

II. *Ratione Definiti*, juxta §. 142.

1. Utrum Definitio nec latior ſit, nec anguſtior?
2. Utrum ſit adæquata?
3. Utrum definitum & definitio poſſint reciprocari?
4. Utrum definitio & definitum ſint idem?
5. Utrum non ſit abundans?
6. Utrum illi competat definitio, cui definitum competit?

III. *Ratione Terminorum*, juxta §. 145.

1. Utrum definitio nullos habeat terminos obſcuros?
2. Utrum conſiſtat terminis prius explicatis?
3. Utrum termini ex uſu loquendi ſint deſumti?

4. Utrum

4. Utrum nulli adſint termini Synonymi, vagi & metaphorici?
5. Utrum non idem per idem explicetur?
6. Utrum circulus ſit admiſſus in definiendo?

Quando igitur Spinozæ Definitionem examino:

I. *Ratione Notarum*; video, quod contra primum & ſecundum theorema §. 140. peccaverit. Notæ enim illius nonſolum Enti per ſe, ſed & Enti a ſe exiſtenti competunt. Ens a ſe ita comparatum eſt, ut ad illius ideam concipiendam non opus habeam idea quadam altera, a qua dependeat. Quapropter Spinoza unicam tantummodo ſtatuebat ſubſtantiam, eamque adpellabat Deum; reliqua autem Entia omnino omnia & materialia & immaterialia accidentibus annumerat.

II. *Ratione Definiti* deprehendo, quod definitio, contra §. 142. Nr. 1. nimis ſit anguſta; extenditur

tur enim tantummodo ad unicum ens a ſe; adeoque contra Nr. 2. non eſt adæquata, nec cum definito idem, contra Nr. 4.

III. *Ratione Terminorum* deprehendo, quod in hac definitione Termini obſcuri adhibeantur contra §. 144. Nr. 1. nam verba illa: conceptus a quo formatur alterius rei conceptus; ſunt obſcura; minimum vaga, contra Nr. 4. Porro contra Nr. 3. Terminus, ſubſtantia, ſecundum loquendi uſum ſumtus non eſt pro Ente, quod rationem eorum, quæ de illo prædicari poſſunt, in ſe continet. Ex. gr. Anima eſt Subſtantia, quia ratio, cur cogitat & appetit, in ipſa deprehenditur.

§. 147.

Si cui dico: Pulvis temperans eſt pulvis, qui ebullitiones ſanguinis ſedat; ita terminum definio. Quodſi vero dico: Pulvis temperans paratur, quando ſiclum Tartari vitriolati & tantundem nitri depu- *Def. Nominalis & Realis.*

depurati bene contrita miſceo, illisque ſcrupulos duos cum dimidio Cinnabaris Antimonii præparatæ, adjicio: ita rem ipſam ejusque geneſin definio. Duplex igitur diſcrimen datur definitionum; nimirum *Definitio Nominalis* dicitur, quæ hujusmodi notas definiti continet, quæ ad iſtud diſcernendum ſufficiunt. *Definitio Realis* autem ſeu *Genetica* eſt, quæ geneſin rei, ſ. modum, quo res fit, & pro re nata, materiam ex qua formatur vel oritur, indicat.

Ex. gr. Circulus eſt figura, cujus omnia puncta ab uno aliquo æqualiter diſtant: hæc eſt Nominalis. Circulus deſcribitur, quando linea recta altero extremo fixa manet, altero autem circumcirca movetur: hæc definitio eſt Realis ſ. Genetica.

§. 148.

Schol. Veteribus definitio Nominalis longe alio venerat ſenſu. Idem ipſis erat, ac 1. *Etymologia*, derivatio vocis a radice ſua. ex.gr. Homo ab humo. 2. *Synonymia*; ex. gr.

gr. homo, mortalis. 3. *Homonymia*, ex. gr. homo, quidam. Definitio autem Realis ipſis idem erat ac nobis Definitio Nominalis. Illa poſſet adpellari *Definitio Nominalis Grammatica*; hæc autem *Definitio Nominalis Logica*.

§. 149.

Definitiones Nominales ſunt arbitrariæ. Definitiones Nominales continent notas ad rem aliquam diſcernendam ſufficientes. §. 147. poſſunt autem unius ejusdemque rei plures dari notæ, quarum quælibet ſufficit ad rem diſcernendam ab omnibus aliis, uti per experientiam novimus. Pendet igitur ab arbitrio noſtro, quasnam in definitione tradenda adhibere velimus. *Definitiones* igitur *Nominales ſunt arbitrariæ*. *Theor. Definitiones nominales ſunt arbitrariæ.*

Ex. gr. Linea Recta eſt via breviſſima a puncto ad punctum; uti Euclides iſtam definivit. Vel: Linea Recta eſt, cujus extrema obumbrant omnia media, ut Plato dixit. Vel: Linea Recta eſt, cujus pars toti ſimilis, uti Leib-

nizius eam definivit; vel: Cujus omnes partes verſus eandem tendunt plagam. Ab arbitrio noſtro pendet, quamnam ex his definitionibus, quæ omnes ſunt nominales, hic & nunc adhibere velimus; Omnes enim notæ, quas exhibent, ad lineam rectam diſcernendam ſufficiunt. Terminus, Linea Recta, in omnibus eſt ex uſu loquendi deſumtus. Quodſi vero quis hocce theorema ita interpretaretur, ut per iſtud cuivis liberum eſſet, cum quovis termino quamvis conjungere ideam, ille a mente noſtra aberraret, atque contra §. 134. peccaret.

§. 150.

Uſus definitionis nominalis.

Definitiones igitur Nominales ſuum habent uſum

1. Ut cum quovis termino conjungatur idea determinata.

Ex. gr. Conſcientia eſt judicium animæ noſtræ de actionibus noſtris utrum bonæ ſint an malæ legique conformes, nec ne? Hæc definitio facit, ut audita voce, conſcientia, ſubinde determinatam cum ea conjungam ideam.

2. Deinde

2. Deinde definitiones Nominales certum & invincibile principium demonſtrandi propoſitiones ſuppeditant.

Ex. gr. E definitione modo allata ſequens ſponte fluit propoſitio: Ergo Homo conſcientioſus intelligere debet actiones ſuas, utrum legi conformes ſint, nec ne?

§. 151.

Probl. Definitionem Nominalem conficere.

Definitionem Nominalem conditurus,

1. Ratione notarum, juxta §. 140. Quosdam ſingulares ſibi proponat caſus, in quibus Definitum adhibetur. Omnis enim noſtra cognitio incipit ab experientia. §. 11. & hæc pendet a ſenſationibus caſuum ſingularium. §. 9.
2. Notas ſingulas ſucceſſive indaget.
3. Eſſentiales ab accidentalibus bene diſtinguat. §. 102.
4. Tot notas eſſentiales conjungat, quot ad diſcernendum definitum ſufficiunt.

5. Adeoque ex omnibus notis Genus & differentiam ſpecificam ſeligat.

6. Inventa ſua juxta §. 146. examinet.

Ex. gr. Quando mihi definienda eſſet Vis attractrix corporum, 1.) caſus quosdam ſingulares, ex. gr. Magnetis, qui ferrum attrahit; fricti Electri, quod fruſtula chartæ attrahit, mihi proponerem; deinde 2.) notas ſingulas indagarem atque inquirerem.

1. Suſpendatur e filo acus ferrea.	1. Electrum teratur in linteo, vel panno.
2. Magnes prope ponatur vel ſuſpendatur.	2. Fruſtula chartæ prope ponantur vel ſuſpendantur.
3. Magnes acum nondum tangit.	3. Electrum fruſtula chartæ nondum tangit.
4. Acus movet ſeſe verſus magnetem.	4. Charta movet ſeſe verſus Electrum.

3.) diſtinguo in his ea quæ ſunt Eſſentialia ab accidentalibus. Illa ſunt, in quibus uterque caſus eſt ſimilis; hæc autem ſunt ea, in quibus uterque caſus eſt diſſimilis.

4.) quod-

4.) quodſi itaque tot notas eſſentiales ſumo, quot ad diſcernendam vim attractricem ab omni alia Vi ſufficiunt, illisque genus, Vires ſc. adjungo, ſequentem reperio definitionem: Vis attractrix eſt vis corporum, qua fit, ut alia corpora, ante quam priora attingunt, verſus ipſa ſeſe moveant. Si hanc definitionem examinare placeret juxta §. 146. haberem aliquid, quod in Logicis eſſet id, quod Proba eſt in Arithmeticis. Hujusmodi examen adpellatur etiam Analyſis definitionum; quemadmodum ipſa definitionum confectio adpellatur Syntheſis definitionum.

§. 152.

Definitio Realis indicat originem rei, qua ratione orta ſit vel generata, vel qualicunque modo confecta. §. 147. Definitio igitur Realis ſ. Genetica contineat *Theor.*

1. Elementa generantia.
2. Modum generationis, ut adeo oſtendat, quid quodque eorum ad geneſin rei contribuat.

Velut in exemplo §. 143. allato punctum fixum & linea recta ſunt elementa generantia; motus lineæ circa punctum eſt modus generationis.

§. 153.

Coroll. Ex his liquet

1. Quod Definitio Realis Dei non detur; Deus enim nullam habet originem.
2. Quod definitio Realis eorum, quorum cauſas neſcimus, etiam non detur, utut ſuam habeant originem.

Ita Philoſophi Definitiones Reales vis attractricis, Gravitatis aliarumque rerum, dare, hactenus non potuerunt, quoniam earum rerum cauſas ignorant.

§. 154.

Probl. Definitionem Realem conficere. Quomodo itaque conficitur Definitio Realis? e §. 152. patet quod

1. Inquirendum ſit in Elementa generantia.
2. Quod indagandum ſit, quid quodque eorum ad geneſin rei contribuat.

3. Quod

3. Quod deinde hæc omnia juxta §. 145. terminis claris ex uſu loquendi deſumtis enuncianda ſint.

Ex. gr. Si danda eſſet Definitio Realis ſeu Genetica tempeſtatis æſtivæ calidioris, attendendum 1.) eſſet ad elementa generantia, quæ ſunt ſolis radii majorem caloris gradum ob propiorem acceſſum ad perpendiculum efficientes; & evaporationes ſulphureæ. 2.) Attendendum eſſet, quòd calor radiorum ſolarium in cauſa ſit, cur evaporationes ſulphureæ aſcendant; quod evaporationes hæ propter gravitatem ſuam altius aſcendere nequeant, adeoque in infima regione aërea hæreant, quam eo ipſo reddant calidiorem, quam quidem ſoli ſolares radii iſtam efficere potuiſſent. Definitio genetica ergo hæc eſt: Tempeſtas æſtiva calidior oritur, quando ſol terram radiis perquam calentibus colluſtrat, ita ut ſulphureæ aſcendant evaporationes, quæ ob gravitatem ſuam in inferiore regione aërea hærentes calorem adaugent.

§. 154.

Probl. Definitionem Realem examinare.

Secundum has §. *anteced.* datas regulas etiam examinanda eſt *Definitio Realis ſ. Genetica.*

Ex. gr. Carteſius ait: quando cum pulvere vel partibus terreſtribus in aëre pendentibus partes oleoſæ vel ſulphureæ commiſceantur & accendantur, oriri Brontiam. Adſunt igitur

1. Partes terreſtres, oleoſæ, ſulphureæ, tanquam elementa Brontiam generantia.
2. Commixtio earum & accenſio, tanquam modus, quo Brontia generetur. Unico igitur temporis momento hujusmodi lapis generari nequit; id quod e phyſicis, ſpeciatim e generatione lapidum pluribus demonſtrari poteſt. Ex his vero etiam intelligitur, quod examinaturus Definitionem aliquam Realem philoſophiæ gnarus eſſe debeat.

§. 155.

Def. Deſcriptio.

Recenſio notarum aliquot tam externarum quam internarum indivi-

dividui alicujus, adpellatur *Deſcriptio.*

Ex. gr. Hieroſolyma Judeæ Metropolis, Regum e tribu Juda ſedes, quatuor montibus ſuperinſtructa, quæ ambitu ſuo plus quam milliare comprehendit & triplici circumdata eſt muro, multis exornato turribus, &c. Quadrat hæc Deſcriptio tantummodo, quando ſermo eſt de antiqua Hieroſolyma, & quidem certo & determinato tempore conſiderata. Definito itaque non ſemper competit, & eam ob cauſam pro definitione haberi nequit.

§. 156.

Coroll. Deſcriptionis objectum ſunt Individua.

Deſcriptionis objectum ſunt tantummodo Individua. Exhibeat itaque Deſcriptio notas etiam externas, temporis, loci, magnitudinis, figuræ, qualitatis, & quascunque alias, quæ in individuis deprehendi poſſunt.

Ex. gr. Si dicerem: Cicero eſt conſul Romanus; id plane non ſufficit ad eum dignoſcendum & diſcernendum ab aliis conſulibus Romanis. Neceſſe eſſet, ut & parentes ipſius, majores, tempus,

quo vixit, reliquas quoque circumſtantias, actiones, fata adjicerem, quando ſufficientem illius deſcriptionem dare vellem.

Ex his etiam facile intelligitur, quemadmodum Deſcriptio aliqua examinanda, & quemadmodum conficienda ſit.

Sectio Quinta.
De
Diviſione.

§. 157.

Def. Diviſio. QUælibet reſolutio Totius in ſuas partes dicitur Diviſio. Quando partes corporis, lapidis, e. g. vel animalis reſolvo, & a ſe invicem actu ſeparo, Diviſio eſt Phyſica. Quodſi autem in idea aliqua Univerſali ſpecies, quas in illa deprehendo, ſeparatim mihi repræſento, adeoque Genus in ſuas ſpecies reſolvo, Diviſio adpellatur Logica ſ. Mentalis.

Ex.

Ex. gr. Idea univerſalis ſeu Generis Figuræ, quæ tribus lineis incluſa eſt, comprehendit nonſolum omnes figuras tribus lineis rectis, ſed & omnes figuras tribus lineis curvis incluſas.

Hæc Reſolutio in has duas ſpecies adpellatur *Diviſio Logica* Triangulorum; de hac nunc maxime ſermo eſt. Id quod ita reſolvitur, adpellatur *Diviſum*; partes autem in quas reſolvitur Diviſum, dicuntur *Membra Dividentia.* ***Diviſum, Membra dividentia.***

Figura igitur eſt Diviſum; figuræ rectilineæ & curvilineæ ſunt Membra Dividentia. Quando Membrum aliquod dividens iterum dividitur in partes novas, adpellatur *Subdiviſio.* Ex. gr. Figuræ rectilineæ ſunt vel regulares vel irregulares.

§. 158.

Quoniam omnis Reſolutio Totius in partes adpellatur Diviſio; Tota autem erga partes ſuas in multiplici deprehenduntur relatione, multiplices etiam exinde naſcuntur Diviſiones; Ex. gr. ***Schol.***

1.Quan-

1. Quando creaturas in rationales & irrationales divido, *Totum Univerſale dividitur in ſpecies.*
2. Quando hominem divido in animam & corpus, *Totum Eſſentiale dividitur in partes Eſſentiales.*
3. Quando corpus humanum in caput, truncum, membra, divido, *Totum Integrale dividitur in partes Quantitativas.*
4. Quando vim animæ divido in facultatem cognoſcendi & appetendi, *Totum poteſtativum dividitur in Realitates.*
5. Quando homines divido in liberos Dei & liberos Satanæ, *Subjectum dividitur per Modos.*
6. Quando pœnas infernales divido in illas, quibus Diabolus, & illas, quibus damnati homines afficiuntur, *Accidens dividitur per Subjecta.*
7. Quando peccata divido in peccata infirmitatis & voluntaria, *Effectus dividitur per cauſas.*

8. Quan-

8. Quando verbum Dei dividitur in legem, quæ homines terret, & in Evangelium, quod ſolatur, *Cauſa dividitur per effectus.*

9. Quando triſtitiam divido in divinam & mundanam, *Res dividitur per objecta.*

§. 159.

Minima Diviſio fit in duas partes & adpellatur *Dichotomia*, a δίχα, in duas partes, & τέμνω, ſeco. Exempla hactenus allata pleraque fuerunt Dichotomiæ. Diviſio in tres partes adpellatur *Trichotomia*, a τρίχα, in tres partes. *Def. Dichotomia, Trichotomia &c.*

Ex. gr. Operationes intellectus ſunt vel Notiones, vel judicia, vel ratiocinia, §. 58. Diviſio in quatuor partes adpellatur *Tetrachotomia.* Ex. gr. Metaphyſica dividitur in doctrinam de Deo, Mundo, anima & rebus in genere ſpectatis; eſt ergo Diviſio Rei per objecta.

§. 160.

E notionibus §. 157. ſuppeditatis ſequentia theoremata tanquam *Leges bonæ Diviſionis.*

quam leges bonæ diviſionis facile demonſtrantur.

1. *Membra dividentia Diviſum exhauriunto.*

Omne enim Totum partibus ſuis ſimul ſumtis eſt æquale, & viciſſim. Falſa igitur eſſet Diviſio, ſi quis omnes libros divideret in theologicos & philoſophicos. Totum enim, libri ſc. plures continet, Hiſtoricos &c.

2. *Tot membra ſunto, quot natura Diviſi ſuppeditat.*

Intelligimus itaque, abſurde non niſi Dichotomiam in dividendo adhiberi, quod Ramiſtis imputatur: quaſi verô ab arbitrio noſtro, non autem â rerum naturâ penderet Diviſio. Idem id eſſet, ac ſi quis in Diviſione hæreditaria poſtularet, ut non niſi Dichotomia aut Trichotomia Maſſæ hæreditariæ fieret, licet quatuor, quinque aut plures adſint hæredes legitimi.

3. *Membrorum dividentium alterum in altero contineri non debet.*

Ex. gr. Omnes homines ſunt aut pii, aut mali, aut hypocritæ. Hypocritæ jam continentur in malis.

§. 161.

§. 161.

Quodſi jam facienda eſſet Diviſio conſcientiæ, ante omnia neceſſe eſſet, ut ſcirem, quid ſit conſcientia. Diviſio enim ſecundum naturam Diviſi inſtituenda. §. 160. 2. Conſcientia autem eſt judicium de actionibus noſtris, utrum bonæ vel malæ. In hac definitione tres exhibentur notæ; 1. *Conſcientia eſt judicium*; 2. *eſt judicium de actionibus noſtris*; 3. *eſt judicium de bonitate vel malitia actionum noſtrarum*. Judicium eſt *Genus*. §. 105. Quoniam autem Genus dividitur in ſpecies: §. 158. 1. poſſum judicium dividere in verum & falſum: Inde naſcitur Diviſio Conſcientiæ, in Conſcientiam Rectam & Erroneam. Illa eſt verum de actionibus judicium; hæc vero falſum.

Probl. Facere diviſionem.

Si judicium conſidero ut *effectum*, & iſtud cum rationibus confendo, propter quas ita judico, utpote quæ vel convincentes, vel probabiles, vel dubiæ eſſe poſſunt: inde naſcitur Diviſio Conſcientiæ in

certam,

certam, probabilem atque dubiam. §. 158. 7.

Si ſecundam perpendo notam: Conſcientia eſt judicium de actionibus; & actiones conſidero tantummodo, quatenus vel bonæ ſunt vel malæ, vel utrum committendæ ſint, an vero omittendæ: nova inde emergit Diviſio conſcientiæ, in Docentem & Practicam. Item ſi actiones conſidero vel ut perpetrandas adhuc, vel jam perpetratas, enaſcitur inde diviſio in conſcientiam Antecedentem & Conſequentem. Si tertiam perpendo notam, judicium, ratione actionum, dividitur in judicium, quod actiones noſtræ ſint bonæ; & in judicium, quod actiones noſtræ ſint malæ. Illa conſcientia dicitur *Bona*; hæc autem *Mala*. Omnes hæ diviſiones Legibus dividendi §. 160. traditis conveniunt, ſunt ergo legitimæ diviſiones. Diviſionem itaque facturus,

1. *Ante omnia rei dividendæ bonam acquirat Definitionem.*

2. *Omnes*

2. *Omnes notas definitionem iſtam ingredientes ſigillatim enumeret atque conſideret.*
3. *Attendat, utrum Genus in ſuas ſpecies, aut rem ſecundum ſuas rationes, vel alio quodam modo juxta §. 158. dividere queat.*
4. *Diviſionem factam ſecundum leges dividendi §. 160. traditas examinet.*

Eodem modo etiam Diviſiones ab aliis factis examinamus.

Primæ Partis
Caput Tertium.
De Judiciis atque Propoſitionibus.

§. 162.

Def. Propoſitio.

S*Ecunda Operatio intellectus, ſ. Judicium* eſt conjunctio vel ſeparatio duarum ad minimum idearum. §. 63. Judicium autem verbis expreſſum adpellatur Propoſitio.

Ex. gr. Quando judico: *Deus eſt amor;* duas habeo ideas. 1. *Dei;* 2. *Amoris.* 3. *Comparo iſtas inter ſe*, i. e. inquiro, utrum una idea contineat aliquid, propter quod altera de ea enunciari poſſit. Hæcce operatio in conjunctione harum duarum idearum conſiſtens, quatenus & quamdiu mens ea eſt occupata, dicitur Judicium. Quoniam autem ideæ vocibus indigitantur, §. 115. etiam judicia vocibus exprimi poſſunt, & tum adpellantur Propoſitiones ſeu Enunciationes.

§. 163.

Def. Affirmare & negare quid ſit?

Quando judico: Titius eſt diligens; id intelligendum præbeo, quod in Titio aliquid deprehendatur, propter quod diligentia ipſi tribuenda. Quando autem judico: Cajus non eſt pius; id intelligendum præbeo, quod in Cajo aliquid deprehendatur, propter quod pietas illi tribui nequeat. Priore caſu affirmo; poſteriore autem nego. *Affirmare* ergo eſt, intelligendum præbere quod in una idea aliquid deprehendatur, propter

propter quod altera ei tribui queat. E contrario *Negare* eſt, intelligendum præbere, quod in una idea aliquid deprehendatur, propter quod altera ipſi tribui nequeat.

§. 164.

Ex his ergo liquet *Coroll.*

1. *Quod omnis propoſitio vel affirmet vel neget.*
2. *Quod in omni propoſitione deprehendatur*
   a. Terminus, de quo aliquid vel affirmatur vel negatur; is adpellatur Subjectum.
   b. Terminus, qui de altero vel affirmatur vel negatur; is adpellatur Prædicatum.
   c. Terminus, qui factam affirmationem vel negationem indicat; is adpellatur Copula.
3. *Omnis ergo propoſitio conſtat tribus partibus.*

Ex. gr. Deus eſt omnipræſens; tres in hac propoſitione deprehendo partes: 1. Deum, de quo aliquid affirmatur; eſt ergo Subjectum. 2. Omnipræſentiam, quæ de Deo affirmatur; eſt ergo Prædicatum.

Denique 3. terminum, Eſt, qui indicat, quod omnipræſentia de Deo enuncietur; eſt ergo Copula.

§. 165.

Def. Propoſitio Cryptica, Explicita.

Quotidiano loquendi more non omnes ſemper propoſitionum partes exprimuntur. Ita ex. gr. dicimus: *Ignis urit.* Habes in hac propoſitione Subjectum & prædicatum, ſed copula deeſt. Si dico: *Orandum eſt*; adeſt quidem prædicatum, ſed & Subjectum & copula latent. Propoſitio, in qua vel Subjectum vel copula non exprimuntur, adpellatur *Cryptica ſ. Implicita*; Contra - propoſitio in qua omnes tres partes exprimuntur, adpellatur *Propoſitio Explicita.* Prædicatum nunquam latere poteſt. Nam cum in omni propoſitione vel affirmandum ſit vel negandum, §. 164. 1. id autem, quod affirmatur vel negatur, ſit prædicatum, §. 164. 2. etiam in propoſitione *Cryptica* prædicatum ſemper adeſſe debet.

§. 166.

§. 166.

In omnibus fere linguis propoſitiones illæ, quæ vel mandatum, vel votum, vel interrogationem, vel Exclamationem continent, *crypticæ* ſunt. Ex. gr. *Vigilate & orate.* *Schol.*

§. 167.

Propoſitionem Crypticam: laborandum eſt; converſurus in explicitam. *Probl. Propoſitionem Crypticam convertere in explicitam.*

1. Interroget: Quid eſt illud, de quo aliquid affirmatur vel negatur? i. e. quærat Subjectum. In exemplo allato Subjectum ſunt homines.
2. Interroget: Quid eſt id, quod de altero affirmatur vel negatur? i. e. quærat Prædicatum. In exemplo Prædicatum eſt, laborare.
3. Videat, utrum prædicatum affirmetur, an vero negetur? ita habebit Copulam, adeoque omnes tres propoſitionis partes; ergo etiam Propoſitionem Explicitam: Homines laborent; vel: Homines ſunt illi, qui laborare debent.

§. 168.

Origo diviſionis Propoſitionum. Multum de propoſitionibus, ratione Subjecti & Prædicati poteſt interrogari; Ex. gr.

1. Utrum ſimplex ſit propoſitio, an verô compoſita? cum conditione, an verô ſine conditione poſita?
2. Utrum affirmativa ſit, an verô negativa?
3. Utrum univerſalis ſit, an verô particularis?

exinde multiplices & variæ enaſcuntur propoſitiones. Veteres has quæſtiones per voces *Quæ? Qualis? Quanta?* exprimunt. Poſſunt autem multo plures addi quæſtiones; hinc etiam plures propoſitionum ſpecies ad iſtas quæſtiones dari poſſunt.

§. 169.

Def. Propoſ. Simplex & compoſita. Propoſitio, quæ unum tantummodo ſubjectum, unumque prædicatum habet, *Simplex* adpellatur. Ex. gr. Superbia eſt vitium. Propoſitio autem, in qua plura vel Subjecta vel prædicata, ponuntur, adpel-

pellatur *Compoſita.* Ex.gr. Superbia atque voluptas ſunt vitia juventuti propria. Cicero erat vir timidus & tamen jactabundus. Ad quæſtionem ergo: Quæ eſt propoſitio? reſpondetur: Simplex aut compoſita; Categorica vel Hypothetica.

§. 170.

Def. Propoſ. Categorica & Hypothetica.

Propoſitio, in qua prædicatum ſimpliciter de Subjecto vel affirmatur vel negatur, adpellatur *Categorica*, (a κατηγορέω, indico.)

Ex. gr. Impii nullam habent pacem. Qui in Chriſtum credit, non damnatur.

Propoſitio autem, in qua prædicatum de ſubjecto ſub addita quadam conditione vel affirmatur vel negatur, *Hypothetica* dicitur, (a voce ὑπόθεσις, conditio) Ex. gr. Si pius es, Deo gratus es.

§. 171.

Coroll.

Quoniam verô ſemper adeſſe debet ratio, cur prædicatum de ſubjecto vel affirmetur vel negetur;

 hæc

hæc autem ratio ſemper in natura ſubjecti ejusque circumſtantiis eſſe debet: plane patet, quod omnis propoſitio proprie loquendo ſit Hypothetica, utpote conſtans *Hypotheſi*, & eo, quod vel affirmatur vel negatur, i. e. *theſi*, utut *hypotheſis* expreſſis verbis adjecta non ſit. Ex. gr. Impii, quatenus, quia & quamdiu ſunt impii, nullam habent pacem.

§. 172.

Coroll. Quoniam in propoſitione Hypothetica prædicatum tantummodo *ſub addita quadam conditione* de ſubjecto vel affirmatur vel negatur: ſequitur, ut, omiſſa hypotheſi, non ſtatim prædicatum vel affirmare vel negare liceat de Subjecto. Ex. gr. Dicit Deus ad Cainum: Si pius eſt Cain, Deo acceptus eſt. Si conditione omiſſa dicerem: Cain Deo acceptus eſt, falſum id eſſet.

§. 173.

Coroll. Si verô conditio aliquam involveret *impoſſibilitatem*, haberet id vim negandi. Ex. gr. Deus ait Jer. XIII. 23. Si æthiops cutem, & panther

ther maculas ſuas mutabit: etiam vos malitioſi bene agere poteritis. Conditio hæc impoſſibilis habet vim negandi, adeoque idem eſt, ac ſi dixiſſet: *Vos bene agere non poteſtis.*

§. 174.

Def. Propoſitio Disjunctiva.

Propoſitio, in qua Subjecto plura prædicata, vel prædicato plura Subjecta adponuntur, ita ut determinatum non ſit, quodnam ex iſtis actu ponendum ſit, adpellatur *Disjunctiva.*

Ex. gr. Anima eſt vel mortalis vel immortalis. Aut cœlum aut infernus te aliquando manebit.

Prædicata illa aut Subjecta dicuntur *Membra Disjunctiva.*

§. 175.

Coroll.

Debent autem

1. *Membra Disjunctiva eſſe oppoſita*, ita ut ſimul poni nequeant. Ex. gr. Nulla eſt disjunctio, quando dicis: Sempronius aut pius eſt, aut diligens. Poteſt eſſe utrumque.
2. *Membrorum Disjunctivorum*

nullum debet omitti, i. e. enumeratio Membrorum Disjunctivorum debet eſſe adæquata. Ex. gr. Homo aut dives eſt, aut pauper. Atqui poteſt eſſe medius inter utrumque.

§. 176.

Def. Propoſ. Copulativa. Propoſitio, in qua de uno Subjecto plura prædicata, vel de pluribus Subjectis unum prædicatum enunciatur, *Copulativa* dicitur.

Ex. gr. Adamus nonſolum ſapiens quoad intellectum, ſed & ſanctus quoad voluntatem erat.

§. 177.

Def. Propoſ. Modalis. Propoſitio, in qua modus exprimitur, ſecundum quem prædicatum de Subjecto vel affirmatur vel negatur, *Modalis* adpellatur.

Ex. gr. Neceſſe eſt, ut homo piger maneat rudis & expers cognitionis. Contingit, ut mors aliquem præter opinionem ex improviſo abripiat. Poſſibile eſt, ut hodie moriar. Impoſſibile eſt ut Deus mentiatur.

§. 178.

§. 178.

Propoſitio, in qua Prædicatum de Subjecto affirmatur, *Affirmativa* dicitur. Ex. gr. Deus eſt amor. Propoſitio, in qua prædicatum de Subjecto negatur, *Negativa* adpellatur. Ex. gr. Satanas amicus mihi non eſt. Propoſitio, in qua negatio vel Subjectum afficit vel prædicatum, non autem Copulam, dicitur *Infinita*. *Def. Propoſ. Affirmativa, Negativa, Infinita.*

Ex. gr. Officium eſt bonum non omittere. Deum non amare, maxima eſt ſtultitia. Ita propoſitiones conſiderantur ratione Qualitatis. Quando itaque quæritur: *Qualis* eſt Propoſitio? reſpondetur *vel* affirmativa *vel* negativa.

§. 179.

Propoſitio, cujus Subjecto addi poteſt Signum Quantitatis, *Omnis*, adpellatur *univerſalis*. Ex. gr. Omnes homines ſunt mortales. Propoſitio, cujus Subjecto addi poteſt Signum Quantitatis, *Quidam*, adpellatur *Particularis*. Ex. gr. Quidam philoſophi ſunt arrogantes. Quidam juvenes ſunt leves. *Def. Propoſ. Univerſalis, Particularis, Singularis.*

leves. Propoſitio, cujus Subjectum eſt aliquod individuum, adpellatur *Singularis*. Ex. gr. Abrahamus erat pater omnium fidelium.

Signum Univerſalitatis ſunt termini: *Omnis, nullus, nemo, & ſimilia.* Signum Particularitatis: *Quidam, non omnis, nonnulli & ſimilia.* Interdum expreſſe ponuntur, interdum ſubintelliguntur. Ex. gr. Cretenſes ſunt mendaces. Ad quæſt. *Quanta* eſt propoſitio? reſpondetur: *Univerſalis, aut particularis, aut Singularis.*

§. 180.

Def. Propoſ. Definita, Indefinita.

Propoſitio, cujus Subjecto ſignum aliquod Quantitatis expreſſe additum eſt, dicitur *Definita*. Ex. gr. Nullus homo eſt omniſcius. Propoſitio autem, cujus Subjecto nullum ſignum quantitatis expreſſe eſt additum, dicitur *Indefinita*. Ex. gr. Homines valde corrupti ſunt. Homines ſe met ipſos convertere nequeunt. Germani ſunt ſinceri.

§. 181.

Probl. Propoſitionem particularem transfor-

Propoſitionem Particularem, ex. gr. Quidam Philoſophi ſunt arrogan-

rogantes, transformaturus in Univerſalem, *mare in univerſalem.*

1. *Inquirat, cur prædicatum de Subjecto poſſit affirmari.* In exemplo allato rationem hanc deprehendo, quod nimis ſuperbe ſentiunt de ſua eruditone, ſuæ infirmitatis & ignorantiæ obliti.
2. *Has rationes Subjecto addat, & habebit propoſitionem univerſalem.* Omnes philoſophi, qui ſuæ infirmitatis & ignorantiæ obliti, nimis ſuperbe de ſua ſentiunt eruditione, ſunt arrogantes.

Abſurdum itaque eſſet, quando quis propoſitionem aliquam ſingularem aut particularem ſtatim transformare vellet in univerſalem, absque inveſtigata prius ratione, propter quam prædicatum de Subjecto vel affirmatur vel negatur. Ex. gr. Judas, vel quidam diſcipuli fuerunt hypocritæ; ergo omnes diſcipuli Jeſu ſunt hypocritæ.

§. 182.

Præter indicatas §.168. quæſtiones, aliæ adhuc formari poſſunt, de *Diviſio propoſitionum ratione materiæ & evidentiæ.*

de propoſitionum ſc. materia & evidentia. Ex. gr. De propoſitionibus: Deus eſt omniſcius; item: Exeat ex aula, qui velit eſſe pius; quærere poſſum:

1. An ſolummodo prædicatum aliquod Subjecti indicant?
2. Aut indicant, quod Subjectum hoc vel illud faciat?
3. An nexus inter Subjectum & prædicatum ita clarus eſt per ſe, ut demonſtratione non egeat?
4. An vero ita comparatus eſt, ut demonſtratione ulteriore opus habeat?

Primo caſu habetur Propoſitio *Theoretica*; ſecundo *Practica*; tertio *Per ſe clara* ſ. *Indemonſtrabilis*; quarto *Demonſtrabilis*. Ex. gr.

1. Jugum Chriſti lene eſt & manſuetum.
2. Abneget ſe met ipſum, qui Chriſti diſcipulus eſſe cupit.
3. Deus mentiri nequit.
4. Non dantur actiones, quæ nec bonæ ſunt, nec malæ.

Hæc propoſitionum diviſio apud Mathema-

thematicos maxime eſt in uſu; inde poſtmodum in philoſophiam quoque translata.

§. 183.

Propoſitio per ſe clara theoretica ſolet adpellari *Axioma*; ab ἀξιόω, dignor. e.g. Totum æquale eſt omnibus ſuis partibus ſimul ſumtis. *Def. Axioma.*

Propoſitio per ſe clara practica dicitur *Poſtulatum.* Poteſt ſcilicet ab homine quovis ratione prædito jure poſtulari, ut iſtam propoſitionem absque ulteriore demonſtratione admittat. Ex. gr. Qui doctus evadere cupit, diligentiam adhibeat neceſſe eſt. Qui intelligit, quid ſit doctum eſſe, quid diligentia, is absque demonſtratione propoſitionem admittet. *Poſtulatum*

§. 184.

Propoſitio theoretica demonſtrabilis dicitur *Theorema*; a θεωρέω, ſpeculor. Ex. gr. Gravitas aëris per triginta duos pedes aſcendere facit aquam. Globus æqualis eſt duabus tertiis Cylindri eandem baſin & altitudinem habentis. Theo- *Def. Theorema.*

remata

remata igitur duas habent partes; 1. *Propoſitionem* ; 2. *Demonſtrationem.* Propoſitio practica demonſtrabilis adpellatur *Problema*, a προβάλλω, projicio. Ex. gr. Deſcribere quadratum datis tribus aliis æquale.

Problema ergo tres habet partes. 1. *Propoſitonem* ; *Reſolutionem*, quæ indicat, quid faciendum ſit, ut prædicatum de Subjecto enunciari queat. 3. *Demonſtrationem*, quæ indicat, quod factis iis, quæ reſolutio facienda præſcripſit, prædicatum recte de Subjecto enuncietur. Veteres Mathematici in fine demonſtratorum theorematum ponere ſolebant hæc verba; ὅπερ ἔδει δεῖξαι ; recentiores Q. E. D. i. e. quod erat demonſtrandum ; in fine autem demonſtratorum Problematum ponebant hæc verba: ὅπερ ἔδει ποιῆσαι. Q. E. F. quod erat faciendum.

§. 185.

Def. Corollarium.

Propoſitio, quæ vel ex theoremate vel alia quadam propoſitione ſequitur immediate, ita ut demonſtratione non amplius egeat, dicitur *Corollarium*. *Corolla-*

Corollarium, Conſectarium, Poriſma.
Ex. gr. E propoſitione: Affectus irrequietos reddunt homines; immediate ſequitur: Ergo ira irrequietos reddit homines.

§. 186.

Propoſitio, quæ ad explicationem vel qualemcunque illuſtrationem aliarum propoſitionum aliquid facit, *Scholion* adpellatur. *Def. Scholion.*

Ex. gr. Dato Axiomate: Nihil eſt ſine ratione ſufficiente; tanquam Scholion addi poſſet, quod Archimedes æquilibrium explicaturus iſto Axiomate uſus ſit. Omnia exempla, ſimilitudines, teſtimonia & alia, quomodocunque ad rem facientia huc referri poſſunt. Rhetorici hæc talia adpellant argumenta illuſtrantia.

§. 187.

Propoſitio, quæ ex aliis ſcientiis ad demanſtrandam aliquam propoſitionem mutuatur, *Lemma* dicitur. *Def. Lemma.*

Lemma dicitur a λαμβάνω, ſumo; Ex. gr. Si in diſciplina Morali demonſtranda eſſet hæc propoſitio: Homo iracundus ſe met ipſum reddit infelicem, poſſem e Pſychologia mutuare hanc propoſitionem: affectus impediunt, quo-

minus homines ad præſcriptum rationis actiones ſuas inſtituere valeant.

§. 188.

De relatione propoſitionum erga ſe invicem.

Quando duas propoſitiones inter ſe comparo, & ad relationem, quam erga ſe invicem habent, attendo, id deprehendo:

1. *Vel* quod ſibi opponantur, ita ut una affirmet, quod altera negat;
2. *Vel* quod una in alteram poſſit converti;
3. *Vel* quod terminis quidem ſint diverſæ, ſenſu autem eædem.

§. 189.

Def. Propoſitiones contraria.

Propoſitiones, quarum una univerſaliter affirmat, quod altera univerſaliter negat, dicuntur *Contrariæ*.

Ex. gr. Omnes planetæ ſunt corpora opaca; Nullus planeta eſt corpus opacum.

Propoſitionum contrariarum utraque poteſt eſſe falſa, ſed non utraque poteſt eſſe vera.

Ex. gr. Omnes docti ſunt pii; Nullus

lus doctus eſt pius; utraque eſt falſa.

§. 190.

Propoſitiones, quarum una de eodem Subjecto particulariter affirmat, quod altera particulariter negat; dicuntur *Subcontrariæ*. *Def. Propoſitiones ſubcontrariæ.*

Ex. gr. Quidam Diſcipuli ſunt diligentes; quidam diſcipuli non ſunt diligentes.

Propoſitionum ſubcontrariarum utraque poteſt eſſe vera, ſed utraque non poteſt eſſe falſa.

§. 191.

Propoſitiones, in quibus de eodem Subjecto idem prædicatum affirmatur & negatur, *Contradictoriæ* dicuntur. *Def. Propoſitiones contradictoriæ.*

Ex. gr. Homines ſunt corrupti; homines non ſunt corrupti.

Propoſitionum Contradictoriarum una neceſſario vera, altera neceſſario falſa eſt. Impoſſibile enim eſt, ut aliquid ſimul ſit & non ſit. Propoſitio autem, cujus Subjectum ita comparatum eſt, ut prædicatum ipſi competere nequeat, dicitur *Contradictoria*. *Propoſ. contradictoria.*

Ex. gr. Deus non amat homines. Bilineum rectilineum. Aliâs dicitur adeſſe contradictio in adjecto.

§. 192.

Schol. Hæc propoſitionum diverſitas optime perſpici poteſt in uno ejusdem argumenti exemplo

1. *Contrariæ*: Omnes homines ſunt peccatores; Nullus homo eſt peccator.
2. *Subcontrariæ*: Quidam homines ſunt peccatores; Quidam homines non ſunt peccatores.
3. *Contradictoriæ*: Homines ſunt peccatores; homines non ſunt peccatores.

§. 193.

Def. Propoſitiones convertibilis & converſa. Propoſitiones, quarum Subjectum fieri poteſt prædicatum, & quarum prædicatum fieri poteſt Subjectum, ſalva ubique veritate propoſitionum, adpellantur *Convertibiles*; altera earum dicitur *converſa*.

Ex. gr. Omnia triangula æquilatera ſunt æquiangula. Hæc propoſitio eſt convertibilis, quoniam ſalva veritate

veritate ex prædicato fieri poteſt Subjectum: Omnia triangula æquiangula ſunt æquilatera. Hæc propoſitio dicitur *converſa.*

§. 194.

Propoſitiones, quæ eundem habent ſenſum, verbis autem ſunt diverſæ, dicuntur *æquipollentes.* *Def. Propoſitiones æquipollentes.*

Ex. gr. Impius Deum amare non poteſt; vel: Homo malus e Deo voluptatem capere nullam poteſt.

§. 195.

Quemadmodum in prima Mentis operatione de Ideis, Cap. 2. Sect. 3. actum eſt etiam de Vocibus ſeu Terminis, quibus ideæ exprimuntur: ita nunc etiam agi poſſet de Expreſſione propoſitionum per orationem & de ſignis diſtinguendi. *Shol.*

Fundamentum omne iterſtinctionum in ſtilo adhibendarum ex hoc fonte petendum eſt; ſimulque diſtincte monſtratur, qua ratione & quo ordine interſtinctiones, Commata, Cola, Puncta, ſint ponendæ. Hæc autem non pertinent ad Logicam.

Primæ Partis
Caput Quartum.
De
Ratiocinatione.

§. 196.

Def. Syllogiſmus.

Ratiocinatio eſt tertia Mentis operatio. §. 64.

Si Ratiocinatio verbis exprimitur, a Græcis dicitur Syllogiſmus, a συλλογίζω; latinis etiam dicitur argumentatio. Quatenus tantum in mente formatur, Græcis dicitur διάνοια, latinis Ratiocinium.

§. 197.

Def. Realis Ratiocinii.

Leges cogitandi ipſe Deus animis hominum indidit. §. 50. Quilibet itaque tantummodo ad ſe met ipſum attendere debet, quando originem ratiociniorum noſſe cupit.

1. Primo intellectus ſibi aliquid repræſentat, quod in aliqua re aut deprehenditur, aut non deprehenditur. Ex. gr. Titius eſt triſtis; Sempronius non eſt pius.

2. Ima-

2. Imaginatio in mentem inducit aliam quandam propoſitionem, quæ communem cum priore habet ideam. Ex. gr. Qui triſtis eſt, dolorem aliquem paſſus eſt. Qui non eſt pius, non eſt Chriſtianus. Triſtem eſſe, non pium eſſe, ſunt ideæ, quæ jam adfuerunt in prioribus propoſitionibus. Propoſitiones duæ poſteriores homini certe in mentem non venirent, niſi Deus omnibus hominibus Imaginationem, & imaginationi legem dediſſet, ut quotiescunque in re aliqua præſente aliquid deprehendatur, quod & in alia quadam re jam jam abſente, fuerat, imaginatio ſtatim quoque hanc abſentem reproduceret.

3. Intellectus deinde vel conjungit, vel disjungit reliquas duas a ſe diverſas ideas duarum propoſitionum illarum. Ex. gr. Titius dolorem aliquem paſ-

ſus eſt. Sempronius non eſt Chriſtianus.

§. 198.

Def. Ratiocinia affirmativa & negativa. Ratiocinia, quorum ultima propoſitio eſt affirmans, *Affirmativa* dicuntur; ſi autem propoſitio ultima negans eſt, *Negativa*.

Ex. gr. Qui bono pollet ingenio & diligens eſt, ille fit doctus;
Cajus bono ingenio pollet & diligens eſt; Ergo
Cajus fit doctus. Item:
Qui parentibus inobedientem ſe præbet, felix eſſe non poteſt;
Abſalon parentibus ſuis inobedientem ſe præbet; Ergo
Abſalon felix eſſe non poteſt.

§. 199.

Ax. Dictum de Omni. Quoniam homines ſecundum certas leges, a Deo conſtitutas, ſuas dirigunt cogitationes: §.50. neceſſe eſt, ut omnes eodem modo ratiocinentur. Per conſequens neceſſario in animis hominum generale quoddam principium vel Axioma eſſe debet, propter quod omnes omninô ita potius ratiocinentur, & non aliter, ut quaſi ex compoſito agere videantur.

videantur. Tale Axioma in Ratiociniis affirmativis eſt ſequens: Cui competit definitio, illi etiam competit definitum; & vice verſa. Item; Quidquid competit generi vel cum vel absque conditione adjecta, id etiam competit ſpeciei vel individuis, ſub illo genere ſtantibus, vel cum vel absque conditione adjecta.

Ita vel ruſtici ratiocinantur: Qui principi tributum dat, eſt ſubditus; vicinus Johannes tributum dat Principi; Ergo eſt ſubditus. Rurſus: Qui ruſticus eſt, agros ſuos ipſe arare debet, quando fructus percipere cupit. Georgius eſt ruſticus; Ergo agros ſuos &c. Ita, inquam, ratiocinantur ruſtici, quibus nec Ariſtotelis Organon, nec Ars Cogitandi, nec Medicina Mentis innotuit; manifeſto indicio, dari principia connata, quæ omnes ſequantur ſine prævia doctrina homines, & quæ ab eruditis abſtracte & lingua, quam vocant, philoſophica proponuntur.

Hocce principium â Philoſophis dicitur: *Dictum de Omni.*

§. 200.

Ax. Dictum de Nullo.

Pari modo & Ratiocinia Negativa generale quoddam principium habent, ex quo explicari poſſunt; & id adpellari ſolet: *Dictum de nullo*; quod ita ſe habet: *Cui non competit definitio, illi etiam non competit definitum; Et: Quidquid generi vel cum vel absque conditione non competit, illud etiam non competit vel cum vel absque conditione Speciei, vel individuis ſub illo genere ſtantibus.*

Ruſtici ita argumentantur: Qui Domino meo nullum dat tributum, non eſt ſubditus; Mercenarii nullum dant tributum; Ergo Mercenarii non ſunt ſubditi. Rurſus: Qui nudo jure incolatûs utitur, ille de ligno ſylvæ communis nihil participat; Mercenarii nudo tantum jure incolatus utuntur; Ergo Mercenarii de ligno ſylvæ communis nihil participant.

§. 201.

Partes Syllogiſmi reſpectu Terminorum.

E definitione §. 197. traditâ, ubi docetur, qua ratione oriatur Ratiocinium, & e conſideratione

ne cujusvis Ratiocinii facile intelligi poteſt, quot Ideæ ad unumquodque Ratiocinium requirantur. Ex. gr. Omnia vitia turbant animi tranquillitatem; Superbia eſt vitium; Ergo ſuperbia turbat tranquillitatem animi. In hoc Ratiocinio *tres* deprehendo ideas:

1. *Vitium.*
2. *Turbare tranquillitatem animi.*
3. *Superbia.*

Hæ tres ideæ, quoniam articulatis vocibus enunciantur, *Termini* adpellantur, §. 116. & ſequenti modo cognominantur:

1. *Terminus Major* dicitur Prædicatum ultimæ propoſitionis in ratiocinio. In noſtro exemplo: turbare tranquillitatem animi. Adpellatur Terminus *Major*, quia *Majoris* eſt extenſionis & latitudinis, quam Subjectum.
2. *Terminus Minor* adpellatur Subjectum ultimæ propoſitionis. In noſtro Exemplo Superbia eſt Terminus Minor;

nor; *Minor* autem dicitur, quia eſt *minoris* Extenſionis.

3. *Terminus Medius* eſt ille Terminus, qui duabus præmiſſis communis eſt, adeoque cauſa eſt, propter quam reliqui duo Termini in propoſitione ultima conjunguntur. Si cauſam quæro, quare Superbia tranquillitatem animi turbet: reſpondetur, quia eſt vitium. Vitium ergo eſt *Terminus Medius.*

§. 202.

Ax. Syllogismus nec plures nec pauciores admittit Terminos quam tres.

Ex his ſequentes duæ propoſitiones ſponte fluunt:

I. *In Syllogismo nec plures nec pauciores eſſe debent Termini, quam tres.*

Quodſi quis ita argumentari vellet: Qui homo eſt, habet rationem; Simia eſt animal brutum; Ergo ſimia habet rationem; quatuor adhibuiſſet Terminos. Ita ratiocinari velle idem eſſet, ac velle audire ope oculorum, & videre ope aurium. Cur? quoniam fit contra leges divinitus ſtabilitas, & homini

& homini connatas. Interdum autem quaternio Terminorum tam manifeſtus non eſt in Syllogiſmo, ſed latet.

1. Quando Terminus *vagus* duplici adhibetur ſenſu. Ex. gr. Omnis vulpes eſt animal quadrupes; Herodes eſt vulpes; Ergo Herodes eſt animal quadrupes. Terminus vulpes vagus eſt, altera vice pro bruto, altera pro callido homine ſumitur. Adſunt ergo duæ ideæ eodem termino indicatæ. Herodes tertiam, & animal quadrupes quartam præbet ideam, ut adeo quatuor adſint ideæ.

2. Quando Terminus *abſtractus* commutatur cum *concreto*. Ex. gr. Omnis virtus eſt habitus; Plato virtuti deditus erat; ergo Plato erat Habitus. Iterum adeſt quaternio Terminorum. Hæc talia autem nihil faciunt ad exercendas & emendandas intelle-

ctus vires, faciunt tantummodo ad perdendum tempus.

II. *Medius Terminus bis particulariter accipi non debet.* In particulari enim idea indeterminata eſt ejus extenſio, adeoque facile mutari poteſt in comparatione ſecunda; igitur ſecure non concludit. Ergo bis particulariter accipi non debet.

III. *Medius Terminus non ingrediatur Concluſionem.*

Nam Medius Terminus denotat illam ideam, quæ præmiſſis communis eſt. Et tertia propoſitio oritur conjungendo duas reliquas ideas diverſas præmiſſarum. §. 197. n. 3. tertiam igitur propoſitionem Medius ingredi nequit. Ita enim tres ideæ in una deprehenderentur propoſitione, cum illa duas tantummodo admittere queat. Abſurdum eſſet ita ratiocinari: Quodlibet peccatum eſt evitandum; pigritia eſt peccatum; ergo pigritia eſt evitandum peccatum.

§. 203.

§. 203.

Quilibet Syllogiſmus tres habet propoſitiones; §. 197. quarum quælibet pariter proprio ſuo gaudet nomine: *Partes Syllogiſmi reſpectu propoſitionum.*

1. *Propoſitio Major* eſt illa Syllogiſmi propoſitio, in qua Terminus Medius conjunctus eſt cum Majore.

Ex. gr. Omnes veri Chriſtiani crucifigunt carnem ſuam. Cicero propoſitionem Majorem ſimpliciter adpellavit Propoſitionem.

2. *Propoſitio Minor* eſt illa Syllogiſmi propoſitio, in qua Terminus Medius conjunctus eſt cum Minore.

Ex. gr. Voluptuoſi carnem ſuam non crucifigunt. Hæc propoſitio aliâs etiam adpellatur Aſſumtio, ſ. Aſſumtum. Ambæ hæ propoſitiones ſimul ſumtæ uno nomine dicuntur Præmiſſæ, quoniam quaſi præmittuntur concluſioni.

3. *Concluſio* eſt illa Syllogiſmi propoſitio, in qua Terminus Major & Minor conjunguntur.

Ex.

Ex. gr. Voluptuoſi non ſunt Chriſtiani. Non autem in eo eſt, ut putemus neceſſario hunc ordinem eſſe ſervandum, ut propoſitio Major primo loco ponatur, Minor ſecundo, & concluſio tertio. Pari bonitate Syllogismi ſequentes ſunt, in quibus ordo ille turbatus eſt: Pigri nihil diſcunt; Qui nihil diſcunt, illi in vita communi & ſocietate hominum utilibus negotiis adhiberi nequeunt. Ergo pigri utilibus negotiis adhiberi nequeunt, Vel: Pigri negotiis adhiberi nequeunt, nam pigri nihil diſcunt; qui autem nihil diſcunt, negotiis adhiberi nequeunt.

§. 204.

Ax. Ratione *Propoſitionum* Syllogismi iterum peculiaria obſervanda ſunt Axiomata:

1. *Ex puris particularibus nihil ſequitur.* Patet id ex natura Particularitatis. In particulari enim propoſitione Extenſio Subjecti tantummodo ſecundum partem aliquam ſui, eandemque indeterminatam ſumitur. Facile igitur fieri poteſt,

poteſt, ut in una præmiſſa illa particularitas vel ſecundum majorem, vel ſecundum minorem, vel prorſus diverſam ſumatur extenſionis partem, quam in altera præmiſſa. E tali igitur collatione Medii cum Extremis, tuto concludere nihil licet. Ex puris ergo particularibus nihil ſequitur.

Ex. gr. Quidam docti impie vivunt; quidam pii ſunt docti; Ergo, quidam pii impie vivunt. Præmiſſæ ſunt veræ, concluſio autem falſa. Dantur Syllogiſmi, in quibus omnes tres propoſitiones ſunt particulares, & omnes tres veræ; de illis dicitur iſtas eſſe veras materialiter, non autem formaliter, quatenus Syllogiſmum repreſentent.

2. Iterum, quia in Syllogiſmo prædicatum ineſſe Subjecto intelligitur per Medium Terminum; ex eo autem, quod prædicatum repugnet Medio, & Medius repugnet Subjecto, neque conſequitur ipſa

M inter

inter ſe pugnare, neque convenire mutuo; cum fieri poſſit, ut uterque v. gr. ſecundum eandem partem pugnet cum medio, & de cetero ipſa inter ſe conveniant, vel mutuo in ceteris repugnent; inde manifeſtum eſt, *ex puris negativis nihil ſequi.* Sunt caſus ſane, ubi ex negativis conſequi *videtur* Concluſio; verum ibi altera propoſitio eſt *virtualiter*, ut loquuntur, ſive *ſenſu* affirmans. Criterium hoc eſt: Si Medius Terminus *non excludatur*, ſed *conjungatur* cum Extremorum altero. Ita ex. gr. Non credentes non ſalvantur; Phariſæi non credunt; Ergo, Phariſæi non ſalvantur; Minor eſt affirmans, quoniam Medius, non credere, tribuitur Subjecto.

Ex. gr. Nullus diſcipulus eſt doctor; Nullus Profeſſor eſt diſcipulus; Ergo nullus Profeſſor eſt doctor.

3. In

3. *In Syllogiſmo affirmativo neceſſe eſt, duas præmiſſas eſſe affirmativas.* In Syllogiſmo affirmativo quæritur: an Prædicatum inſit Subjecto? Non poteſt id intelligi ex eo, ſi medius alteri extremo repugnet, & in altero includatur, vel idem includat. Non poteſt igitur Syllogiſmus affirmativus conſtare præmiſſa negativa; igitur utraque erit affirmativa.

4. *Ubicunque igitur eſt præmiſſa negativa, etiam negativa eſt concluſio.*

5. *Syllogiſmus negativus alteram præmiſſam negativam habet, alteram affirmativam.* Non utramque negativam, vi N.2. ſed nec utramque affirmativam. Ex eo enim, quod utrumque extremum & medius mutuo ſe includunt vel includuntur, ſequi non poteſt, extrema ſe excludere. Igitur neceſſe eſt, alteram eſſe

affirmativam, alteram negativam.

6. *Tantum ſit in Concluſione, quantum fuerat in præmiſſis.* Reſpicit hæc regula quantitatem Terminorum. In Syllogismo quidquid fit, per Medium fieri debet. Quodſi jam Medius in præmiſſis cum Extremorum aliquo, particulariter ſumto, fuiſſet comparatus, illud ipſum Extremum etiam in concluſione particulariter ſumi deberet, quoniam plus in præmiſſis cum medio comparatum non eſt. Qui enim fieri poſſet, ut Medius decideret in concluſione de eo, quod in præmiſſis cum illo comparatum non eſt?

Ex.gr. Quidam homines ſunt vere pii; omnis vere pius eſt Chriſtianus; Ergo omnes homines ſunt Chriſtiani. Terminus, homo, in præmiſſis particulariter cum Medio comparatus, in concluſione apparet univerſaliter ſumtus.

7. Ex.

7. Ex Nr. 4. & 6. intelligitur verum eſſe, quod *Concluſio ſemper ſequatur partem debiliorem.* Pars autem *debilis* eſt ratione Qualitatis *negatio*, ratione Quantitatis autem *particularitas.* Quidquid ergo *debilitatis* ineſt præmiſſis, id etiam concluſioni ineſſe debet. Ex. gr. Omnis avarus Deo eſt exoſus; Quidam homines non ſunt avari; Ergo Quidam homines Deo non ſunt exoſi.

§. 205.

Quoniam Medius cum Extremis diverſimode poteſt diſponi, exinde natæ ſunt quatuor Syllogiſmorum Figuræ. *Figura* ergo Syllogiſmi nihil aliud eſt, quam *Diſpoſitio Medii cum Extremis.* Cum jam Medius in utraque præmiſſa eſſe debeat, ſequentes Medii cum Extremis diſpoſitiones ſunt poſſibiles, ut *Def. Figura Syllogiſmorum.*

1. Medius in Majore Subjectum, in Minore prædicatum;

 2. Et

2. Et in Majore & in Minore prædicatum;
3. Et in Majore & in Minore Subjectum; denique
4. In Majore prædicatum & in Minore ſubjectum ſit.

Ergo etiam quatuor dantur Figuræ. Exemplum primæ Figuræ:

Nemo inutilia docens fidelis doctor eſt;
Omnes Pedantæ inutilia docent; Ergo
Nullus Pedanta eſt fidelis doctor.

Exemplum ſecundæ Figuræ:

Nullus fidelis doctor inutilia docet;
Omnes pedantæ inutilia docent; Ergo
Nullus pedanta eſt fidelis doctor.

Exemplum tertiæ Figuræ;

Omnes inutilia docentes ſunt pedantæ;
Quidam inutilia docentes ſunt doctores,
Quidam doctores ſunt pedantæ.

Exemplum quartæ Figuræ:

Quidam doctores inutilia docent;
Omnes inutilia docentes ſunt pedantæ; Ergo
Quidam pedantæ ſunt doctores.

Ex his exemplis facile conſpicitur, quod Syllogismi ſecundæ, tertiæ & quartæ Figuræ aliquantum obtorti ſint, cum oculus intellectus, ut ita loquar, quaſi in obliquum torqueri debeat, ut aliquid ad latus poſitum perſpicere queat. Figura prima eam ob cauſam nonſolum *perfectiſſima* dicitur, quia & univerſaliter & particulariter, & affirmative & negative concludit, adeoque omnes concludendi modos habet; ſed & *maxime naturalis*, quia faciliores ſunt ipſius Syllogismi & eapropter etiam frequentiores. Hinc factum eſt, ut de Syllogismis reliquarum Figurarum transformandis in Syllogismos primæ Figuræ cogitarint Logici; & iſtud transformandi Artificium adpellarunt *Artificium Reductionis*.

§. 206.

Ut Syllogismus primæ Figuræ legitimus ſit, ſequentes regulæ Speciales primæ figuræ ſunt obſervandæ: *Leges Figuræ Primæ.*

1. *Major debet eſſe univerſalis.*

Ex gr. Omnes fideles æternam nanciſcuntur vitam. Nullus infidelis æternam nanciſcitur vitam. Ratio eſt in Dicto de omni. §. 199.

2. *Minor ſit affirmans.*

Indicat enim, vi Dicti de omni & nullo, quod hoc vel iſtud Subjectum ſubſit illi Generi, quod in majore propoſitione fuerat poſitum. Ex. gr. Omnes qui ſe vere convertunt, fiunt fideles. Judas erat infidelis. Ergo.

Ut Syllogiſmus ſecundæ Figuræ legitimus ſit, ſequentes obſervandæ ſunt regulæ ſpeciales:

1. In ſecunda Figura Major debet eſſe univerſalis. Cum enim in ea Medius bis prædicetur, prædicatum concluſionis in majore ſi particulariter ſumeretur, in concluſione, ut negativa ſemper, ſumi deberet univerſaliter; eſſet igitur Terminus in concluſione univerſalior, quam fuerat in præmiſſis contra §. 204. N. 6. Ergo major ſemper debet eſſe univerſalis.

2. Eſſe

2. Eſſe autem in ſecunda Figura concluſionem ſemper negativam, patet hoc modo: Pone præmiſſas AA; i. e. pone Medium ineſſe omni prædicato, ineſſe etiam omni Subjecto, an ex eo tutus eſſe poſſum, quod nihil præterea in alterutro contineatur, quod repugnet alteri? minime! ergo affirmative nihil concludi poteſt. Ex. gr. Omne Triangulum eſt lineis incluſum; Omne quadratum eſt lineis incluſum; an ergo inferrre poſſum, vel omne, vel quoddam quadratum eſſe Triangulum? Vides, quod in reliquis determinationibus Subjecti atque prædicati aliquid contineatur, quod repugnet, numerus ſcilicet linearum quaternarius & ternarius. Id cum de univerſalibus verum ſit, neceſſario etiam de particularibus AI. vel IA. ve-

rum eſt, quoniam univerſale ſemper continet particulare. Prohibemur etiam in ſecunda figura affirmative concludere ea regula, qua Medius bis particulariter ſumi vetatur. §. 202. N. 2.

3. His autem poſitis, neceſſe eſt in ſecunda Figura, ut præmiſſarum aliqua ſit negans. Cum enim concluſio ſemper debeat eſſe negativa; (vi N. 2.) ex puris affirmativis autem concluſio negativa elici nequeat, altera præmiſſarum utique negans eſſe debet.

Ut Syllogismus Tertiæ Figuræ legitimus ſit, ſequentes obſervandæ ſunt regulæ ſpeciales:

1. In Tertia Figura Minor debet eſſe affirmans. Pone præmiſſas A E, ita prædicatum dicitur ineſſe omni Medio, & Subjectum repugnare omni Medio. Quid exinde eliciendum? ex

eo nondum intelligitur, utrum Subjectum Medio repugnet eo, quod prædicatum in ſe contineat, vel alia ſui parte. De Subjecto igitur & prædicato nihil conſequitur. Si autem ex A E nihil conſequitur, etiam nihil conſequitur ex A O, quoniam univerſale continet particulare. Ex eadem ratione etiam nihil conſequitur ex IE, & nihil ex IO; plura non dantur. Ergo Minor debet eſſe affirmans.

2. Si in Tertia Figura Minor affirmans eſt, Concluſio debet eſſe particularis. In Minore enim, ut affirmativâ, Terminus Minor, tanquam illius prædicatum, particulariter eſt intelligendus. Ut enim affirmare liceat, neceſſe eſt totam comprehenſionem prædicati contineri in comprehenſione Subjecti; quod autem in altero continetur, minus eſſe debet, quam continens. Atqui

qui, quo minor eſt comprehenſio, eo major eſt extenſio. Poteſt igitur tota comprehenſio prædicati contineri in comprehenſione Subjecti, utut non omnia Extenſionis prædicati objecta contineantur in Extenſione Subjecti. Ergo ſi Terminus Minor in præmiſſis particulariter ſumtus eſt, in concluſione pariter particularis eſſe debet. §. 204. N. 6.

Ut Syllogiſmus Quartæ Figuræ legitimus ſit, ſequentes obſervandæ ſunt regulæ ſpeciales:

1. Quarta Figura in Modis negativis Majorem habet univerſalem. In concluſione negativa enim prædicatum ſemper univerſaliter ſumtum intelligitur. Criterium ſcilicet negationis eſt, ut in comprehenſione prædicati aliquid deprehendatur, quod contradicit alicui vel pluribus determinationibus in comprehen-

ſione

ſione Subjecti. Si hoc, tum univerſa Extenſio prædicati excludenda eſt ex Extenſione Subjecti, utut reliquæ determinationes optime conſentiant. Quodſi ergo Terminus Major in Propoſitione Majore ſumeretur particulariter, iterum Terminus in concluſione eſſet univerſalior, quam fuerat in præmiſſis, contra §. 204. N. 6. Ergo quarta Figura in modis negativis Majorem habet univerſalem.

2. Si verô in quarta figura Major eſt affirmans, Minorem oportet eſſe univerſalem. In Majore affirmativa enim Medius intelligitur particulariter ſumtus, uti modo dictum eſt; Fig. 3. N. 2. Quodſi ergo Minor eſſet particularis, Medius ex Signo eſſet particularis, adeoque bis particulariter ſumtus, contra §. 202. N. 2. Ergo in quarta figura, ſi Major eſt affirmans, Minorem

norem oportet eſſe univerſalem.

3. Denique ſi Minor quartæ figuræ eſt affirmans, concluſio debet eſſe particularis. Minor enim Terminus ex natura affirmationis eſt particularis; vid. Fig. 3. N. 2. ergo in concluſione non poteſt eſſe univerſalis. §. 204. N. 6. In quarta igitur figura, ſi Minor eſt affirmans, concluſio debet eſſe univerſalis.

§. 207.

Def. Modi Syllogismorum. Tres Syllogiſmi propoſitiones etiam conſiderari poſſunt ſecundum earum quantitatem & qualitatem, & inde enaſcitur *Modus Syllogiſmi*, qui nihil aliud eſt, quam diſpoſitio propoſitionum in Syllogiſmo ſecundum quantitatem & qualitatem. Ut id breviter indicari queat, aſſumſerunt Logici quatuor vocales: A. E. I. O. quarum quælibet duplicem habet poteſtatem, alteram ratione Qualitatis, alteram vero ratione Quantitatis;

titatis; utraque ſequenti verſiculo indicatur:

Aſſerit A, negat E, verum generaliter ambæ;
Aſſerit I, negat O, ſed particulariter ambæ.

Cuilibet igitur Propoſitioni Syllogismi præponitur una ex his quatuor litteris. Cumque Syllogismi ſecundæ, tertiæ & quartæ figuræ reduci queant ad primam, illa reductio autem itidem ſuum poſcat ordinem, quo negotium fieri debet, aliæ quoque aſſumtæ ſunt litteræ ſua poteſtate gaudentes. Cum enim figura abſolvatur poſitu medii, ex una in alteram non niſi converſione aut transpoſitione propoſitionum reduci poteſt. Hinc aſſumtæ ſunt litteræ S. P. M. C. quarum poteſtates ſequentibus indicantur verſiculis:

S. vult ſimpliciter verti; P. verte per Accid.
M. vult transponi; C. per impoſſibile duci.

Ex his litteris Logici conflarunt vocabula Modos omnium Figurarum

rum ſignificantia, hac quidem lege, ut litteræ initiales reliquarum figurarum eædem ſint, quæ modorum primæ figuræ, ut adeo ex illis ſtatim pateat ad quemnam modum primæ figuræ datus Syllogismus reduci debeat. Litteræ autem initiales ſunt hæ quatuor: B. C. D. F. quarum poteſtates ſequentibus incluſæ ſunt verſiculis:

Barbara demonſtrat B. Celarent C. reducit.
D. redit ad Darii; F. redit ad Ferio.

Ipſa autem Modorum vocabula ſequenti modo traduntur:

I. Fig. BArbArA, cElArEnt, (primæ) dArII, fErIOque
II. Fig. CEsArE, cAmEſtrEs, fEſtInO, bArOcO. (ſecundæ)
III. Fig. Tertia, grande ſonans, recitat dArAptI, fElAptOn.
IV. Fig. bAmAlIp, cAlEmEs, dImAtIs, fEsApO. frEsIsOn.

I. Reductio autem duplex eſt, alia *Oſtenſiva ſ. Directa*, cum eadem concluſio,

cluſio, quæ in ſecunda, tertia & quarta figura inferebatur, infertur in prima. Alia *per Impoſſibile*, vel *per viam Contradictionis*, cum ex oppoſito concluſionis, loco præmiſſæ aſſumto, manente altera præmiſſa, in figura prima concluditur oppoſitum præmiſſæ alterius.

1.) Videamus igitur exempla Reductionis Oſtenſivæ ſ. Directæ. Syllogismus *ſecundæ figuræ:*

cAm Q. vult prodeſſe eſt amicus;
Es N. inimicus eſt amicus; Ergo
trEs N. inimicus vult prodeſſe.

ob litteram initialem C. reduci debet ad Modum primæ figuræ cElArEnt; ob litteram M. major in locum Minoris propoſitionis transponatur; ob litteram S. minor & concluſio ſimpliciter vertatur, in hunc modum:

cE N. amicus eſt inimicus;
lA O. qui vult prodeſſe eſt amicus; Ergo
rEnt. N. qui vult prodeſſe eſt inimicus.

2.) Exemplum Syllogismi *tertiæ figuræ* in primam reducendi ſit ſequens:

dIs Q. impii affluunt divitiis;
Am O. impii ſunt miſeri; Ergo
Is. Q. miſeri affluunt divitiis.

Hic Syllogismus ob præfixam litteram initialem D. reduci debet ad Modum

primæ figuræ DArII. ob litteram S. major debet ſimpliciter converti ; ob litteram M. minor in locum majoris propoſitionis transponi, & ob affixam litteram S. concluſio ſimpliciter debet converti, in hunc modum:

dA O. impii ſunt miſeri;
rI Q. divitiis affluentes ſunt impii; E.
I. Q. divitiis affluentes ſunt miſeri.

3.) Exemplum *quartæ figuræ* ſit ſequens Syllogismus:

bAm O. corpus eſt extenſum;
A O. extenſum eſt diviſibile; Ergo
lIp. Q. diviſibile eſt corpus.

Quoniam litteram B. præfixam habet, reduci debet ad modum primæ figuræ BArbArA. ob litteram M. major propoſitio ponatur in locum Minoris; & quoniam litteram P. habet affixam, concluſio per accidens debet converti, in hunc modum:

bAr O. extenſum eſt diviſibile;
bA O. corpus eſt extenſum, Ergo
rA. O. corpus eſt diviſibile.

II. Reductio *per Impoſſibile* in duobus tantum Modis obtinet, bArOcO ſcilicet & bOcArdO. Nimirum tria ſupponuntur: 1. *Adverſarium admittere præmiſſam utramque, dubitare ſolum de evidentia illationis in ſecunda & tertia;*

tertia ; 2. Syllogiſmos in prima eſſe legitimos , hoc eſt , ſi falſa ſit concluſio , falſam eſſe aliquam præmiſſam ; 3. duo contradictoria non poſſe ſimul vera eſſe & falſa. His poſitis convincitur adverſarius recte in ſecunda & tertia concludi. Si enim negat in ſecunda, ubi Syllogiſmus eſt in bArOcO, negat concluſionem veram eſſe, & concedit præmiſſas eſſe veras. Maneat igitur Major, & pro Minore ponatur oppoſitum concluſionis, quod verum eſt ex ſuppoſito tertio. Tum exurget Syllogiſmus bArbArA, cujus concluſio, legitime illata, eſt minoris prioris contradictoria. Eſt igitur falſa ex ſuppoſito primo & tertio; igitur ex ſuppoſito ſecundo eſt falſa aliqua præmiſſa. Non Major, utpote quæ conceſſa eſt ex ſuppoſito primo; ergo Minor; ergo ex ſuppoſito tertio prior concluſio fuit vera. Idem obtinet in tertia; manet enim in bOcArdO Minor, & ex contradictorio concluſionis concluditur contradictorium Majoris. Vis Exempla? Ecce tibi ſequentia:

bAr	O. Virtus habet comitem prudentiam;
O	Q. Zelus non habet comitem prudentiam; Ergo
cO.	Q. Zelus non eſt virtus.

 bO

* * * *
* * * * *

bO Q. iræ Genus non debet reprehendi;
cAr O. ira eſt affectus; Ergo
dO. Q. affectus non debet reprehendi.

En Syllogismos hos reductos:

bAr O. virtus habet comitem prudentiam;
bA O. Zelus eſt virtus; Ergo
rA. O. Zelus habet comitem prudentiam.

* * * *
* * * * *

bAr O. affectus debet reprehendi;
bA O. ira eſt affectus; Ergo
rA. O. ira debet reprehendi.

Quænam ex præmiſſis in quavis figura retineri, quæ mutari debeat, ſequentibus verſiculis docere ſolent Logici:

Servat Majorem, variatque ſecunda Minorem.
Tertia Majorem variat, ſervatque Minorem.

§. 208.

Diviſio Syllogiſmorum. Syllogiſmi conſtant propoſitionibus; propoſitiones autem ſunt diverſimodæ; §. 168. hinc etiam ipſi Syllogiſmi ſunt diverſimodi. Præcipuæ eorum ſpecies ſunt:

1. Syl-

1. Syllogiſmus Categoricus, de quo hactenus.
2. Syllogiſmus Crypticus.
3. Syllogiſmus Hypotheticus.
4. Syllogiſmus Disjunctivus.
5. Syllogiſmus Copulativus.
6. Inductio.
7. Sorites.

§. 209.

Def. Syllogiſmus Crypticus.

Ad Syllogiſmum requiruntur tres propoſitiones. §. 197. Quemadmodum ergo propoſitio Cryptica dicitur, in qua non omnes propoſitionis partes expreſſæ ſunt; §. 165. ita etiam Syllogiſmus, cujus non omnes tres propoſitiones expreſſæ ſunt *Crypticus* adpellatur. *Crypſis* autem hæc duplici modo fieri poteſt:

1. *Per Synonymiam.*

Ex. gr. Cicero ait: Quorum interpretes ſunt, eos ipſos eſſe certe neceſſe eſt. Deorum autem interpretes ſunt; Deos igitur eſſe fatemur. In hac oratione termini: eos eſſe neceſſe eſt; &: eos eſſe fatemur, ſunt Synonymi. Eſt ergo Syllogiſmus Crypticus.

2. *Per Enthymema*; i. e. talem Syllogiſmum, cujus alterutra præmiſſa deficit; vel, in mente reſervata eſt.

Ex. gr. Rex eſt homo, ergo eſt mortalis. Major propoſitio: qui homo eſt, eſt mortalis; in mente reſervata eſt. Enthymema igitur omne defectum ſuum ex ſe ipſo ſupplere poteſt. Semper enim tres adſunt Termini. Concluſio nempe ſuppeditat Terminum Majorem & Minorem, & alterutra præmiſſarum, quæ poſita eſt, ſuppeditat Medium.

3. *Conſequentiâ Immediatâ.*

Ex. gr. Davides eſt Pater Salomonis. Ergo Salomon eſt filius Davidis. Quando Termini Synonymi ponuntur, conſequentia immediata facile poteſt converti in Syllogiſmum ordinarium. Ex. gr. A quo quis generatus eſt, illius filius eſt. Salomon a Davide generatus eſt (hoc idem eſt ac ſi diceres: Davides eſt pater Salomonis) Ergo Salomon eſt Davidis filius.

§. 210.

Def. Syllogiſmus Hypotheticus. Syllogiſmus, cujus Major propoſitio conditionem aliquam continet,

tinet, adpellatur *Hypotheticus.* Ex. gr. Si pius es, Deo acceptus es. Atqui es pius; Ergo Deo acceptus es. Conditio: ſi pius es, dicitur Antecedens; propoſitio, quæ conditionem ſequitur: Deo es acceptus: dicitur Conſequens. Ipſa connexio Antecedentis & Conſequentis adpellatur Conſequentia.

§. 211.

Def. Modus ponens, tollens.

Quando conditio tanquam vera aſſumitur, & conſequens inde elicitur, adpellatur *Modus ponens* Syllogismi Hypothetici. Si vero conſequens negatur eo fine, ut & conditio ſ. antecedens negari queat, adpellatur *Modus tollens* Syllogismi Hypothetici. Uterque Modus brevitatis cauſa ita exprimi ſolet:

1. *Modus ponens:*

   Si vis, Domine! potes me purgare;
   Atqui prius eſt; Ergo & poſterius.

2. *Modus Tollens:*

   Si Abrahamus ex operibus eſt juſtificatus, gloriam habet apud Deum.
   Atqui poſterius non eſt; Ergo nec prius.

§. 212.

Criterium Syllogiſmi Hypothetici ſpurii & veri.

Si Antecedens cum conſequente ita neceſſario connexum eſt, ut unum ſine altero eſſe nequeat, conſequentia ſemper eſt legitima. Si vero Antecedens cum conſequente neceſſario connexum non eſt, ſed tantummodo accidentaliter, conſequentia non ſemper eſt legitima, ſed tantummodo in duobus caſibus §. 211. memoratis.

Hinc ſequentes Syllogiſmi Hypothetici.	
1. Veri per omnia.	2. Veri in duobus caſibus a & b.
Si pius eſt, fidelis eſt,	Si pius eſt, legit Biblia;
a. Atqui pius eſt, Ergo eſt fidelis.	a. Atqui pius eſt; Ergo legit Biblia.
b. Atqui non eſt pius, Ergo non eſt fidelis.	b. Atqui Biblia non legit; Ergo non eſt pius.
	Falſi autem ſunt in ſequentibus duobus caſibus.
c. Atqui eſt fidelis; Ergo eſt pius.	c. Atqui legit Biblia; Ergo eſt pius.
d. Atqui non eſt fidelis, Ergo non eſt pius.	d. Atqui non eſt pius; Ergo Biblia non legit.

§. 213.

Quodſi non ſatis conſtaret, utrum conſequentia Syllogiſmi Hypothetici legitima ſit, nec ne? Syllogiſmus Hypotheticus convertatur in Categoricum. Fit autem id, quando indagamus cauſam concluſionis, i. e. Medium Terminum. *Probl. Reducere Syllogiſmum Hypotheticum in Categoricum.*

Ex. gr. In Syllogiſmo falſo lit. c. Quære, cur pius eſt? reſpondetur, quia Biblia legit: Argumentare igitur: Qui Biblia legit, eſt pius; atqui iſte Biblia legit; Ergo eſt pius. Quis non videat Majorem eſſe falſam? Cum lectione enim Bibliorum pietas neceſſario connexa non eſt; cum per experientiam conſtet, permultos legere Biblia, non tamen pios eſſe.

§. 214.

Syllogiſmus, cujus Major eſt disjunctiva, adpellatur *Disjunctivus.* *Def. Syllogiſmus Disjunctivus.*

Ex. gr. Aut Deo ſerviendum eſt, aut mundo; atqui Deo ſerviendum eſt; Ergo non mundo. *Vel:* Atqui mundo non eſt ſerviendum; Ergo ſerviendum eſt Deo. Aut ergo unum membrum affirmatur, §. 174. & eo ipſo alterum negatur; aut unum negatur, ut alterum affirmetur.

§. 215.

Lapis Lydius Syllogiſmi Disjunctivi.

Neceſſe autem eſt, ut in Syllogismo Disjunctivo regulæ §. 175. traditæ adcurate obſerventur. Ita enim male argumentaremur:

Sempronius aut pius eſt aut doctus; atqui doctus eſt, ergo non eſt pius. *Vel:* atqui pius eſt; ergo non eſt doctus. Si hujusmodi Syllogismi reducuntur in Categoricos, ſtatim apparet, ubi peccatum ſit.

§. 216.

Probl. Reducere Syllogismum Disjunctivum.

Reducturus Syllogismum Disjunctivum in Categoricum inquirat iterum in cauſam concluſionis, i. e. in Medium Terminum.

Ita in Syllogismo antecedente quæro: Cur Sempronius non eſt pius? Reſp. quia doctus eſt. Falſum eſſet Ratiocinium: Qui doctus eſt, eo ipſo non eſt pius; Sempronius eſt doctus; Ergo non eſt pius.

§. 217.

Def. Dilemma.

Syllogismus Hypotheticus, cujus conditio cum propoſitione disjunctiva eſt conjuncta, quæ vero negatur, *Dilemma* dicitur, a δὶς λαμβάνειν, bis ſumere.

Ex.

Ex. gr. Quodſi infidelis aliquis à Deo juſtificaretur, aut propter opera ſua bona juſtificandus eſſet, aut ex gratia. Atqui propter opera bona juſtificari nequit, quoniam nulla habet; nec ex gratia, utpote de qua propter infidelitatem nihil participat; Ergo plane non juſtificari poteſt. Talem Syllogismum Cicero appellat Complexionem; alii Syllogismum cornutum, crocodilinum ſ. crocodilitem.

§. 218.

Argumentatio, in qua Toti & Generi illud adſcribitur, quod de partibus & ſingulis ſpeciebus vel individuis dicitur, adpellatur *Inductio.* *Def. Inductio.*

Ex. gr. Saturnus eſt corpus opacum; Jupiter, Mars, Terra, Luna, Venus, Mercurius ſunt itidem corpora opaca; Ergo omnes planetæ ſunt corpora opaca. Si in Inductione omnes partes vel ſpecies aut individua recenſentur, Inductio adpellatur Completa, qualis eſt exemplum modo allatum; Si non omnes recenſentur, eſt incompleta. Ex. gr. Terra inhabitatur; Ergo omnes planetæ inhabitan-

bitantur. Ita argumentari nimis eſſet temerarium; interim quotidie hujusmodi argumentationes fiunt. An non id nos male haberet, ſi quis Turca ita vellet argumentari: ille Græcus erat fraudator; ille Catholicus erat etiam fraudator; Lutheranus aliquis & Reformatus pariter erant fraudatores; Ergo omnes Chriſtiani ſunt fraudatores. Multæ ſententiæ generales, adagia omnium nationum, opificum artificumque hoc cenſu veniunt. Examinaturus ergo, utrum Inductio aliqua, ſi non certa, minimum probabilis ſit? inquirendum eſt, utrum reliquæ partes, ſpecies vel individua, in Inductione non recenſita, aliquid contineant, propter quod idem illud neceſſario ipſis adſcribi debeat, quod de reliquis partibus, ſpeciebus aut individuis, in Inductione recenſitis, dictum fuerat. Ita in exemplo inquirendum eſſet in reliquos Planetas, utrum aliquid in ipſis deprehendi queat, propter quod de illis affirmari queat, quod pariter inhabitentur, uti Terra. Hæc argumentatio etiam adpellatur Argumentum *ab Analogia* petitum; & multa dantur exem-

exempla, ubi quidem non omnes recenſentur partes, ſpecies aut individua, & nihilominus ratio nulla adeſt, propter quam non Toti, vel Generi idem tribuatur, quod in aliquibus tantum individuis fuerat repertum. Ex. gr. Si quædam humana corpora cultro anatomico ſunt ſubjecta, ut eorum internas partes, ſitus earum, reliquasque qualitates noſſe datum fuerit, quid impedit, quo minus credamus omnes omnino homines interne ita eſſe comparatos? nulla adeſt ratio, cur idem non de aliis omnibus credamus, utut non omnes cultro anatomico fuerint ſubjecti.

§. 219.

Argumentatio, in qua plures ſe invicem inſequuntur propoſitiones, & quidem hac lege, ut ſubinde prædicatum antecedentis propoſitionis fiat ſubjectum conſequentis, dum tandem in concluſione prædicatum ultimæ & ſubjectum primæ conjunguntur, adpellatur *Sorites*, σωρείτης, a σωρὸς, acervus, quapropter Cicero illum adpellavit argumentationem acervalem. *Def. Sorites.*

Ex.

Ex. gr.

Quos Deus prævidit, illos etiam ordinavit;
Quos ordinavit, illos etiam vocavit;
Quos vocavit, illos etiam juſtificavit;
Quos juſtificavit, illos etiam glorificavit. Ergo
Quos Deus prævidit, illos etiam glorificavit.

In Sorite omnes propoſitiones primam & ultimam interjacentes debent eſſe univerſales. Aliâs talis eſt, qualis ab Ulpiano deſcribitur: ubi ab evidenter veris per breviſſimas mutationes ad ea, quæ evidenter falſa ſunt, perducitur. Exemplum e Cicerone ſequens notum eſt; L. I. de Nat. Deor. c. 18.

Quoniam Deos beatiſſimos eſſe conſtat;
Beatus autem eſſe ſine virtute nemo poteſt;
Nec virtus ſine ratione conſtare;
Nec ratio unquam ſine hominis figura;
Hominis eſſe ſpecie Deos confitendum eſt.

Quan-

Quando Sorites reducitur in Syllogiſmos Categoricos, tot dantur Syllogiſmi Categorici, quot Sorites continet propoſitiones exceptis duabus. Ita prior Sorites in ſequentes tres Syllogiſmos Categoricos reduci poſſet: *Probl. Reducere Soritem in Syllogiſmos Categoricos.*

1.

Quos Deus prævidit, illos etiam ordinavit;
Quos Deus ordinavit, illos etiam vocavit; Ergo
Quos Deus prævidit, illos etiam vocavit.

2.

Quos Deus vocavit, illos etiam juſtificavit;
Quos prævidit, illos, etiam vocavit; Ergo
Quos Deus prævidit, illos etiam juſtificavit.

3.

Quos Deus juſtificavit, illos etiam glorificavit;
Quos prævidit, illos etiam juſtificavit; Ergo
Quos Deus prævidit, illos etiam glorificavit.

Si Ciceronianus Sorites eodem modo in Syllogiſmos Categoricos reducitur,


tur, facile eſt videre, quod illa propoſitio: nec ratio unquam ſine hominis figura, ſit falſa.

§. 220.

Def. Probatio & Demonſtratio.

Quando Syllogiſmi ita concatenantur, ut concluſio primi novo demonſtretur Syllogiſmo, adpellatur Probatio. Quando duo, tres, quatuor, quinque Syllogiſmi eo uſque concatenantur, ut tandem præmiſſæ ultimi Syllogiſmi ſint propoſitiones indemonſtrabiles, adpellatur *Demonſtratio.*

Ex. gr. Si demonſtretur Theorema ſequens: Duo anguli contigui X & O eidem lineæ rectæ inſiſtentes æquales ſunt duobus rectis: demonſtratio ita eſt inſtituenda:



Quicunque anguli æquales ſunt 180°, illi etiam duobus rectis æquales ſunt.

Atqui anguli contigui X & O æquales ſunt 180°.

Ergo anguli contigui X & O æquales ſunt duobus rectis.

Propoſitio major e definitione anguli recti derivatur tanquam Axioma.

Propo-

Propoſitio Minor probanda eſt.

Quicunque anguli pro menſura habent ſemicirculum, illi 180°. æquales ſunt.

Anguli contigui X & O pro menſura habent ſemicirculum;

Ergo anguli contingui X & O æquales ſunt 180°.

Hoc Syllogismo, cujus concluſio eſt Minor primi Syllogismi, probatur Minor prioris Syllogismi,ea propter adpellatur Proſyllogismus,quemadmodum primus adpellatur Epiſyllogismus, quoniam illius præmiſſarum aliqua fit concluſio alterius Syllogismi. Et ita habemus Probationem. Quodſi ad Demonſtrationem usque res eſſet urgenda, Minor Proſyllogismi novo probanda eſſet Syllogismo. Major enim tanquam Axioma e definitione ſemicirculi fluit.

Quicunque anguli pro menſura habent duos arcus, eidem lineæ rectæ inſiſtentes, in qua centrum eorum habetur, illi ſemicirculum habent pro menſura.

Atqui anguli contigui X & O pro menſura habent duos arcus AD & DE, eidem lineæ rectæ AE inſiſtentes, in qua centrum eorum habetur.

Ergo anguli contigui X & O pro menſura habent ſemicirculum. Propoſitio Major eſt immediata conſequentia ex Axiomate: in quavis linea recta ſemicirculus deſcribi poteſt.

Propoſitio Minor per experientiam patet. Ergo in præmiſſis omnia ſunt indemonſtrabilia. §. 182. ergo adeſt Demonſtratio.

§. 221.

Def. Circulus in demonſtrando.

Fieri poteſt, ut Syllogiſmi concatenentur, & nihilominus nihil demonſtretur. Ex. gr. Quod poſt mortem corporis vivum manet, eſt immortale. Anima poſt mortem corporis viva manet; ergo anima eſt immortalis. Propoſitio Minor novo probatur Syllogiſmo: Quod immortale eſt, illud poſt mortem corporis vivum manet; Anima eſt immortalis; ergo anima poſt mortem corporis manet viva. Quando propoſitio aliqua per Syllogiſmum demonſtratur, cujus præmiſſarum aliqua demonſtranda eſt propoſitione prima, adpellatur Circulus in demonſtrando.

do. Quoniam vero propoſitio aliqua non poteſt demonſtrari per ſemet ipſam: per Circulum in demonſtrando autem propoſitio aliqua per ſemet ipſam demonſtratur; patet, quod per Circulum in demonſtrando nihil demonſtretur.

SECUNDA PARS LOGICÆ.

Caput Primum. De Objecto Logicæ.

Sectio Prima. De Veritate & Errore.

§. 222.

Logice eſt docere, qua ratione regulis, quas intellectus noſter in cogitando ſequitur, in cognoſcenda veritate utendum ſit. *Def. Verum quid & quotuplex.*
§. 51. Ante omnia igitur neceſſe

O 2 eſt,

eſt, ut ſciam, quid ſit *Veritas.* Jam vero terminus, *Veritas*, multiplici ſenſu adhibetur:

1. Quæritur ex. gr. utrum fulgens aliquod metallum Verum ſit aurum; i. e. utrum omnes proprietates, quas in illo deprehendimus, ad id conſentiant, ut ſit aurum, ex. gr. gravitas, color, ſoliditas? Hæc veritas dicitur Metaphyſica.
2. Quæritur, utrum quis cum veritate loquatur, i. e. utrum verba ipſius cum animo conſentiant? Hæc veritas adpellatur Moralis.
3. Quæritur, utrum notiones & judicia ſint vera, i. e. utrum cum rebus ipſis & inter ſe conſentiant? Hæc veritas adpellatur Logica, de qua nunc ſermo eſt.

§. 223.

Def. Veritas Logica. *Veritas Logica* ergo eſt conſenſus idearum & judiciorum cum rebus ipſis, quas cogitamus.

§. 224.

§. 224.

Vera igitur *idea* eſt talis repræſentatio rei, quæ cum re ipſa conſentit. *Def. Vera Idea.*

Ex. gr. Idea fidei ſalvificæ vera eſt, quando fidem mihi repræſento ut conſenſum Evangelio datum propter teſtimonium ſpiritus ſancti in anima.

Falſa igitur *idea* eſt talis repræſentatio rei alicujus, quæ cum re ipſa non conſentit.

Ex. gr. Doctus ſ. eruditus eſt, qui multos legit libros; eſt idea falſa, quoniam non virum eruditum repræſentat, ſed aliquem, qui multos legit libros. Ergo non conſentit cum re.

§. 225.

Hinc Propoſitio Vera eſt, in qua prædicatum cum Subjecto conſentit, i. e. in cujus Subjecto aliquid deprehenditur, cur prædicatum de illo vel univerſaliter vel particulariter affirmari vel negari debeat. *Def. Propoſitio vera.*

Ex. gr. Ignis urit; eſt vera propoſitio, quoniam aliquid in igne deprehenditur, cur uſtio de eo prædicari debeat. *Propoſitio falſa* eſt, *Propoſitio falſa.*

quando prædicatum cum Subjecto non conſentit. Ex. gr. Anima eſt mortalis, eſt propoſitio falſa; quoniam in ſubjecto aliquid continetur, propter quod prædicatum de eo non affirmari poteſt, ſed potius negari debet.

§. 226.

Def. Ratiocinium verum. *Ratiocinium verum* eſt, cujus præmiſſæ ſunt veræ, §. 225. & ex quibus concluſio legitime ſequitur.

Ex. gr. Quod res circumſtantes facit viſibiles, eſt lux; Luna res circumſtantes facit viſibiles; ergo luna eſt lux. Hoc ratiocinium eſt verum, nam præmiſſæ ipſius ſunt veræ; §. 225. Concluſio etiam ex præmiſſis legitime ſequitur; §.204. Verum ergo eſt hocce Ratiocinium ratione *formæ* & *materiæ*.

Ratiocinium falſum. *Ratiocinium falſum* autem eſt, cujus præmiſſæ ſunt falſæ, §. 225. aut è cujus præmiſſis concluſio non legitime ſequitur.

Ex. gr. Quod res circumſtantes facit viſibiles, propria luce gaudet; Luna res circumſtantes facit viſibiles; ergo luna luce propria gaudet. Hoc

Hoc Ratiocinium eſt falſum ratione materiæ. Major enim propoſitio eſt falſa. Porro, ſi quis ita ratiocinaretur: Omnis ſcortatio eſt vitanda; furtum non eſt ſcortatio; ergo furtum non eſt vitandum; præmiſſæ quidem eſſent veræ, adeoque ratiocinium verum ratione materiæ; ſed conſequentia ê præmiſſis eſt falſa, adeoque ratiocinium eſt falſum ratione formæ. Reducatur modo juxta §. 205. & quæratur ratio concluſionis; Cur furtum non eſt vitandum? quia non eſt ſcortatio. Reductum itaque Ratiocinium ita ſe haberet: Quod non eſt ſcortatio, id non eſt vitandum; atqui furtum non eſt ſcortatio; Ergo furtum non eſt vitandum. Quis autem non videt Majorem eſſe falſam, adeoque ratiocinium ratione materiæ nunc eſſe falſum, cum ratione formæ ſit verum. Falſa hujusmodi Ratiocinia, quorum falſitas adeo occulta non eſt, ut non facile pateat, adpellantur Paralogiſmi; quando autem falſitas eorum occultior eſt, quam ut ſtatim pateat, adpellantur Sophiſmata. Ex. gr. Davides erat vir ex Voluntate Dei; Davides erat adulter; ergo omnis

quando prædicatum cum Subjecto non conſentit. Ex. gr. Anima eſt mortalis, eſt propoſitio falſa; quoniam in ſubjecto aliquid continetur, propter quod prædicatum de eo non affirmari poteſt, ſed potius negari debet.

§. 226.

Def. Ratiocinium verum. *Ratiocinium verum* eſt, cujus præmiſſæ ſunt veræ, §. 225. & ex quibus concluſio legitime ſequitur.

Ex. gr. Quod res circumſtantes facit viſibiles, eſt lux; Luna res circumſtantes facit viſibiles; ergo luna eſt lux. Hoc ratiocinium eſt verum, nam præmiſſæ ipſius ſunt veræ; §. 225. Concluſio etiam ex præmiſſis legitime ſequitur; §. 204. Verum ergo eſt hocce Ratiocinium ratione *formæ* & *materiæ*.

Ratiocinium falſum. *Ratiocinium falſum* autem eſt, cujus præmiſſæ ſunt falſæ, §. 225. aut è cujus præmiſſis concluſio non legitime ſequitur.

Ex. gr. Quod res circumſtantes facit viſibiles, propria luce gaudet; Luna res circumſtantes facit viſibiles; ergo luna luce propria gaudet.

Hoc

Hoc Ratiocinium eſt falſum ratione materiæ. Major enim propoſitio eſt falſa. Porro, ſi quis ita ratiocinaretur: Omnis ſcortatio eſt vitanda; furtum non eſt ſcortatio; ergo furtum non eſt vitandum; præmiſſæ quidem eſſent veræ, adeoque ratiocinium verum ratione materiæ; ſed conſeqtientia ê præmiſſis eſt falſa, adeoque ratiocinium eſt falſum ratione formæ. Reducatur modo juxta §. 205. & quæratur ratio concluſionis; Cur furtum non eſt vitandum? quia non eſt ſcortatio. Reductum itaque Ratiocinium ita ſe haberet: Quod non eſt ſcortatio, id non eſt vitandum; atqui furtum non eſt ſcortatio; Ergo furtum non eſt vitandum. Quis autem non videt Majorem eſſe falſam, adeoque ratiocinium ratione materiæ nunc eſſe falſum, cum ratione formæ ſit verum. Falſa hujusmodi Ratiocinia, quorum falſitas adeo occulta non eſt, ut non facile pateat, adpellantur Paralogiſmi; quando autem falſitas eorum occultior eſt, quam ut ſtatim pateat, adpellantur Sophiſmata. Ex. gr. Davides erat vir ex Voluntate Dei; Davides erat adulter; ergo omnis

adulter eſt ex voluntate Dei. Utraque præmiſſa eſt vera, nihilominus ratiocinium eſt falſum; falſitas autem illius eſt occultior. Quæratur ergo cauſa Concluſionis juxta §. 205. Cur adulter ex voluntate Dei eſſe dicitur? quoniam Davidi quoad adulterium ſunt ſimiles. Quomodo jam reductum ratiocinium ſe habere deberet? Qui Davidi in adulterio ſimilis eſt, ille eſt vir ex voluntate Dei; jam vero omnis adulter Davidi in adulterio ſimilis eſt; Ergo: Quis non videt, Majorem eſſe falſam? Major ita ſe habere debet: Qui Davidi in eo ſimilis, ut ſe ex toto corde ad Deum convertat, ille eſt vir ex voluntate Dei. Pergatur in Ratiocinio, & apparebit falſitas. Hujusmodi Sophiſmata etiam Fallacias adpellare ſolent easque dividunt in fallacias in dictione & extra dictionem; illarum quinque, harum vero ſeptem numerant.

Ex. gr. Fallaciæ in dictione ſunt ſequentes:

1. *Fallacia Simplicis dictionis*, ſi una vox decipit nos, ut vel verum illius ſenſum non aſſequamur, vel ſignificatio illius in ratiocinando nobis

nobis inſciis mutata producat formam illegitimam a nobis non animadverſam. Ex. gr. Cancer habet pedes; Cancer eſt morbus; Ergo morbus habet pedes.

2. *Fallicia Amphibolia* eſt, quæ per ambiguitatem Orationis plures ideas ſub ſpecie unius venditat, atque ſe vel per phraſin, vel per conſtructionem ſeu Syntaxin ambiguam inſinuat. Ex. gr. Qui diſputat in cathedra theologica hodie didicit alphabetum & litteras. Doctor Theologiæ diſputat in cathedra theologica; Ergo doctor theologiæ hodie didicit alphabetum & litteras.

3. *Fallacia Compoſitionis* eſt, ſi ea male conjunguntur in conſequente argumentationis, quæ in antecedente erant disjunctim intelligenda. Ex. gr. Nec dexter oculus eſt neceſſarius ad videndum, nec ſiniſter oculus eſt neceſſarius ad videndum; ergo nullus oculus neceſſarius eſt ad videndum.

4. *Fallacia Diviſionis* eſt, ſi ea male dividuntur in conſequente argumentationis, quæ in antecedente erant conjunctim intelligenda. Ex.gr. Unum, duo & tria efficiunt ſex; hic adeſt unum ovum, ad-

O 5 ſunt

ſunt duo atque tria; Ergo hic adſunt ſex ova. Omnes ſapientes Græciæ ſunt ſeptem; Thales eſt ſapiens Græciæ; ergo Thales eſt ſeptem.

5. *Fallacia Figuræ Dictionis* eſt, cum vox ſuppoſitionem mutat; item quantitatem aut qualitatem debitam revera non habet, mentitur tamen. Ex. gr. Homo eſt ſpecies; Socrates eſt homo; Ergo Socrates eſt Species. Amat eſt verbum activum; Pamphilus amat; Ergo Pamphilus eſt verbum activum.

Fallaciæ extra dictionem ſunt ſequentes:

1. *Fallacia Accidentis*, cum id, quod per ſe tale eſt, cum eo, quod per accidens tale eſt, confunditur. Ex. gr. Quod reddit homines furioſos eſt malum; Vinum reddit homines furioſos; Ergo vinum eſt malum.

2. *Fallacia a dicto ſimpliciter ad dictum ſecundum quid eſt*, quando aliquid ſimpliciter quidem dictum, ſed ſecundum quid intelligendum, habetur pro ſimpliciter poſito & intelligendo, atque inde infertur concluſio. Ex. gr. Quisquis acceperit gladium, gladio interibit, Math. XXVI. 52. Magiſtratus homicidiam puniens accipit gladium; Ergo

Ergo Magiſtratus homicidam puniens interibit gladio.

3. *Fallacia à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter* eſt, ſi a propoſitione, quæ cum adjectione aliqua eſt vera, ad eandem ſine adjectione veram concluditur. Ex.gr. Chriſtus reliquit mundum; Ergo Chriſtus plane non eſt præſens amplius in mundo.

4. *Fallacia Falſi Medii* eſt, ſi ratio probans videtur talis, ſed non eſt. Ex. gr. Paulus jubet cavere, ne decipiamur per philoſophiam; Ergo Philoſophia eſt mala.

5. *Ignorantia Elenchi* eſt, quando aliud probatur, quam quod probandum proponebatur. Ex. gr. Si probare velles, Papam eſſe caput Eccleſiæ, atque ſequentem formares Syllogiſmum: Cui commiſit Chriſtus oves ſuas, ille eſt Princeps Apoſtolorum; Petro commiſit Chriſtus oves ſuas; Ergo Petrus eſt Princeps Apoſtolorum.

6. *Fallacia Conſequentis* eſt, cum ex antecedente ob crypſin conſequi videtur, quod revera non conſequitur. Ex.gr. Pallet, ergo ſtudet.

7. *Fallacia cauſæ non cauſæ*, eſt, quando aliquid, quod ſpeciem cauſæ mentitur, revera autem non

eſt,

eſt, pro vera cauſa allegatur, atque inde concluſio infertur. Ex.gr. Si Deus omnia poſſibilia ad actum deducit: omnia, quæ actum non conſequuntur, ſunt impoſſibilia; atqui Deus omnia poſſibilia ad actum deducit; Ergo omnia, quæ actum non conſequuntur, ſunt impoſſibilia.

§. 227.

Theor. Lydius lapis veritatis Logicæ eſt convenientia cum re ipſa.

Character & quaſi lapis Lydius veritatis Logicæ, quo & idearum & judiciorum & ratiociniorum veritas cognoſci poteſt, eſt convenientia cum re ipſa. Demonſtr.

1. Ideæ noſtræ ſunt veræ, quando repræſentationes cum rebus ipſis conveniunt. §. 224. Veritas igitur earum per hanc convenientiam cognoſci poteſt. *Id erat primum.*

2. Propoſitiones noſtræ ſunt veræ, quando prædicatum cum Subjecto conſentit. §. 225. Prædicatum autem cum Subjecto conſentire nequit, niſi Subjectum ita ſit comparatum, ut prædicatum de eo vel

vel affirmari vel negari queat. Prædicatum ergo cum qualitate Subjecti, i. e. cum re ipſa conſentire debet. Veritas igitur propoſitionum ex illo conſenſu cum re ipſa cognoſci poteſt. *Id erat ſecundum.*

3. Ratiocinia ſunt vera, quando eorum præmiſſæ ſunt veræ, & concluſio ex illis legitime deducitur. §. 226. Quoniam itaque præmiſſæ ſunt veræ, earum veritas e conſenſu cum re ipſa cognoſci debet. No. 2. Concluſio autem tum legitime infertur, quando Medius terminus, vel cauſa concluſionis ita comparata eſt, ut duo reliqui termini in ultima propoſitione conjungi queant. §. 201. No. 3. Veritas igitur conſequentiæ pendet a qualitate Medii, adeoque cum hac re conſentire debet. Ergo veritas Ratiociniorum e conſenſu propoſitionum ſuarum, & conſequentiæ cum re ipſa cognoſci poteſt. *Id erat tertium.*

Theo-

Theorema hocce etiam ſequenti modo poſſet exprimi: Ille veritatem & idearum & judiciorum & ratiociniorum habet, qui naturæ rei convenienter & ideas ſuas & judicia & ratiocinia inſtituit.

§. 228.

Coroll. Lapis Lydius falſitatis eſt disconvenientia cum re ipſa.

Falſitas igitur Idearum, judiciorum & ratiociniorum ex eo cognoſci poteſt, quando disconveniunt cum rebus ipſis, quarum ideæ, judicia & ratiocinia eſſe dicuntur. Vid. exempla falſarum idearum, judiciorum & ratiocinorum. §. 224. 225. 226. tradita.

§. 229.

Def. Error.

Aſſenſus, qui falſæ ideæ vel falſæ propoſitioni præbetur, *Error* adpellatur.

Ex. gr. Quando Chriſtus Sadducæis reſurrectionem mortuorum negantibus dicit: Erratis; idem eſt, ac ſi diceret: vos falſæ propoſitioni: nulla datur mortuorum reſurrectio, aſſenſum veſtrum præbetis. Errores itaque oriuntur ê falſis propoſitionibus.

§. 230.

§. 230.

Certæ quædam propoſitiones falſæ, e quibus homines falſa ratiocinia eliciunt, adpellari conſueverunt *Præjudicia*. *Def. Præjudicium.*

Nimirum *aſſenſus* noſter oritur, ſi propoſitionem aliquam habemus pro vera. Quodſi adſentiamus propoſitioni cuidam, quam nondum ſatis habemus exploratam, per *præcipitantiam judicandi* id accidiſſe dicitur. Hæc præcipitantia in aſſentiendo adpellatur *præjudicium ſ. præjudicata opinio.* Poſſumus præcipitari in aſſenſu dato vel veræ vel falſæ propoſitioni; illud adpellatur *Præjudicium innoxium*, hoc autem *damnoſum*; ut adeo præjudicium ex modo aſſentiendi præcipiti, non autem ex veritate vel falſitate æſtimandum ſit. Si ratio præcipitantiæ deſumta eſt â perſonis, *Perſonale*; ſi à rebus, *Reale Præjudicium* adpellari ſolet. Præjudicii perſonalis ratio aut *ab ipſo judicante* deſumta eſt, aut *ab aliis*; ſi prius: aut in nimia judicantis *confidentia* de ſuis perfectionibus, aut in nimia *diffidentia* de ſuis imperfectionibus fundata eſt; illud adpella- *Varia præjudiciorum genera.*

pellatur *Præjudicium nimiæ confidentiæ*, hoc autem *nimiæ diffidentiæ;* ſi poſterius: iterum aut in nimia de aliorum perfectionibus confidentia, aut in nimia diffidentia de aliorum imperfectionibus fundatur; illud *præjudicium Auctoritatis*, hoc *Singularisſmi* nuncupatur. Et quæ ſunt alia bene multa. Ex. gr. Præjudicium *Ignorantiæ:* quod ego neſcio vel non intelligo, id etiam verum non eſt. Præjudicium *planitatis:* quod ego facile intelligo, id etiam facile eſt intellectu. Præjudicium *Subtilitatis:* Quod mihi difficile eſt, id etiam in ſe difficile eſt &c. Educatio, conſuetudo, aliorum exempla &c. faciunt, ut hujus modi propoſitiones in errores ſeducant; ipſæ enim ſi conſiderantur, earum falſitas cuivis ratione prædito ſtatim eſt manifeſta. Attendat igitur quilibet ad ſe met ipſum, & inquirat in rationem, propter quam aſſenſum ſuum alicui propoſitioni præbeat, ſic ſibi facile cavebit ab erroribus e præjudiciis oriundis.

* * * *
* * * * *

Sectio

Sectio Secunda.
De
Certitudine.

§. 231.

IDea, propoſitio & ratiocinium, ſi vera ſunt, etiam vera manent, utut nec ego, nec alius quiſpiam illorum veritatem perſpiciat. Impoſſibile enim eſt, ut idem ſimul verum & falſum ſit. Veritas ergo propoſitionis alicujus â cognitione noſtra non pendet. Quodſi verô propoſitio aliqua, ex. gr. Aër eſt gravis; etiam nobis vera ſit, neceſſe eſt omnino, ut plene perſpiciamus convenientiam hujus propoſitionis cum aëre ejusque qualitate, ita quidem ut nulla adſit formido oppoſiti. *Certitudo* ergo eſt plena perſpicientia convenientiæ idearum, propoſitionum & ratiociniorum cum rebus ipſis, absque ulla formidine oppoſiti. Hæc Certitudo adpellatur *Phyſica* & *Mathematica*, ut diſcernatur a Morali *certitudine*, de qua Sect. 3. §. 256. agetur. *Def. Certitudo.*

Idea Lunæ, quod ſit corpus opacum, ſpatio viginti ſeptem dierum & ſeptem horarum, ab occaſu verſus ortum circa tellurem ſe movens, eſt vera. Conſentit enim cum curſu & natura Lunæ. Jam ſi ego hunc conſenſum perſpicio, ejusque perſpicientiæ mihi conſcius ſum, quod ſcilicet Luna ſic & non aliter ſe habeat: idea mea eſt certa. Propoſitio: Planetæ propria luce non gaudent, eſt vera. Subjectum enim ita ſe habet, ut prædicatum de eo negari debeat. §. 225. Quodſi jam Planetarum indolem & naturam perſpicio, propter quam propria lux ipſis denegari debet: Propoſitio illa etiam mihi certa eſt.

Incertitudo. *Incertitudo* ê contrario eſt talis perſpicientia convenientiæ idearum, propoſitionum & ratiociniorum cum rebus ipſis, quæ â formidine oppoſiti liberata non eſt.

§. 232.

Ax. Ex his ſequentia ſponte fluunt.

1. Certus eſſe non poteſt, qui rem aliquam non intelligit; aut non expertus eſt.

2. Una

2. Una eademque propoſitio alteri certa, alteri incerta eſſe poteſt.

Ex hiſtoria litteraria notum eſt, quod multæ propoſitiones temporibus antiquioribus incertæ fuerint eruditis iſtorum temporum, quæ eædem propoſitiones nunc tironibus ſunt certiſſimæ.

§. 233.

Qua igitur via pervenitur ad certitudinem? Via ad certitudinem duplex eſt; altera per experientiam; altera per legitima ratiocinia & demonſtrationem nos ducit ad certitudinem. §. 220. Illa dicitur Cognitio a poſteriori; hæc autem Cognitio â priori. *Via ad certitudinem duplex.*

§. 234.

Experientia dicitur illa cognitio, quam aquirimus attenti ad ſenſationes noſtras. *Def. Experientia.*

Experimur itaque omnia, quæ videmus, audimus, tangimus, guſtamus & odoramur. Experientia igitur eſt initium cognitionis humanæ. §. 11. & acquiritur ſenſibus. §. 9.

§. 235.

Theor. Experientiæ objecta non niſi individua ſunt.

Quidquid experimur, debemus ſentire; quidquid ſentiri poteſt, debet exiſtere; quidquid exiſtit, omni modo debet eſſe determinatum, adeoque individuum. Ergo *Experientiæ objecta non niſi individua ſunt.*

Quando igitur experior: *ignis urit;* proprie tantum id experior, quod iſte ignis, quem ſentio, urat. Quod autem quilibet ignis urat, id non experientiæ debeo, ſed ratiocinio ex experientia elicito, ubi individualem ignem urere ſenſi. Supra docuimus, quod hoc modo e propoſitionibus particularibus fiant univerſales. §. 181.

§. 236.

Coroll.

Qui ergo ad experientiam provocat, caſum aliquem ſingularem allegare debet.

Ex. gr. Dicit Maffei: ſe expertum eſſe, quod fulgur etiam in tellure accendatur. Allegat etiam caſum ſingularem, quo iſtud ſenſerat. Una cum aliis erat in conclavi quodam vetuſtæ arcis *Fordinuovo* in Italia. Ibi ab initio parvam eandemque cœruleam obſervaverat flam-

flammam, quæ ſubinde aucta ſubito cum ingenti fragore in altum ſeſe tollebat & ſuperiori arcis iſtius parti damnum inferebat.

Patet etiam ex hoc exemplo, quando teneamur ſingulares allegare caſus; nimirum quando ſenſatio talis eſt, quam non omnes & non ſemper habere queunt. Abſurdum enim eſſet ſingulares allegare caſus in hujusmodi ſenſationibus, quas quilibet quotidie habet & habere poteſt; ex. gr. Ignis urit; aqua humectat.

§. 237.

Def. Experientia Externa, Interna.

Sentimus non ſolum ea, quæ extra nos, ſed & ea, quæ intra nos contingunt. §. 2. Animadvertimus nimirum, quod ex. gr. ex felici aliquo caſu voluptas, ex infelici vero tædium vel averſatio in nobis oriatur. Voluptas & averſatio in nobismetipſis ſunt. Datur ergo etiam cognitio rerum, quæ intra nos contingunt, & quam acquirimus attenti ad ſenſationes noſtras. Hæc dicitur *Experientia Interna*, ut diſtinguatur ab *Externa*, quæ rebus

extra nos contingentibus occupata eſt.

§. 238.

Def. Experientia Vulgaris & artificialis. Omnes opifices & ruſtici per experientiam norunt, quod ignis flammam ſuam ſuſtentare & continuare ſine libero aëre nequeat. Eſt ergo Experientia Vulgaris, quam omnes homines & quotidie facili negotio habere poſſunt. Quod autem ignis ſine omni aëre plane extinguatur, id experimur tum demum, quando campanæ per Antliam Pnevmaticam ab aëre evacuatæ ignem ſubdimus. Experientiæ igitur, quas acquirimus, quando res naturales ope machinarum variorumque artificiorum in eum redigimus ſtatum, ut earum occultas vires & qualitates ſentire queamus, dicuntur Experimenta, vel *Experientiæ Artificiales.*

§. 239.

Requiſita organorum ſenſoriorum. Cum ergo experientias acquiramus per ſenſationes; rerum autem externarum ſenſationes mutationem

nem inducant organis ſenſoriis in corpore; & mens etiam ſibi conſcia ſit illius mutationis: neceſſe eſt omnino, organa ſenſoria ita eſſe comparata, ut mutatio requiſita in iis contingere queat, ſi quidem ſenſationes adeoque etiam experientia certa eſſe debeant. Requiritur ergo

1. *Ut organa nullo laborent vitio.*

Oculus lippus, lingua febricitantis in eo ſtatu non ſunt, ut mutationes ad videndum & guſtandum neceſſariæ in ipſis contingere queant. Hanc ob cauſam Myopes utuntur conſpicillis, & qui defectu quodam aurium laborant, tubos adhibent acuſticos, aut auriculas diſtendunt.

2. *Ut organorum & objectorum ſit juſta diſtantia.*

Nonnulli longe remota, nonnulli propiora melius vident. Juſta diſtantia, quæ in pleriſque deprehenditur hominibus, & in qua etiam res parvas, ex. gr. typos minores legere poſſunt, eſt diſtantia octo digitorum.

3. *Ut objectum tot ſenſibus ſubjiciatur, quot ſubjici poteſt.*

Ex. gr. Ut cognoſcam, utrum liquor aliquis ſit vinum nec ne? guſtus & olfactus eſt adhibendus; naribus ergo utor atque lingua. Quando igitur vitrum, aqua colorata repletum, pro vino habeo, ipſe cauſa erroris ſum, quoniam oculis tantum, non autem naribus quoque atque lingua, uſus ſum ad hanc ſenſationem.

4. *Ut medium inter organa & objectum ſit rite diſpoſitum.*

Si quis per vitrum cœruleum videt, omnia ipſi apparebunt cœrulea. Quando aër vaporibus craſſis eſt repletus, radii per iſtum penetrantes alias neceſſario mutationes efficiunt, quam ſi aër fuiſſet ſerenus.

§. 240.

Theor. Senſationes ſunt veræ.

His rite obſervatis *ſenſationes*, quas habemus, ſunt *veræ*. Objecta externa mutationem inducunt organis ſenſoriis talem, quæ ipſorum naturæ & qualitati conveniens eſt. Ergo etiam repræſentatio facta in mente conveniens eſt objectis. Utrumque hoc in Pſychologia demonſtratur. Repræ-

præſentationes objectorum, quarum quis ſibi conſcius eſt, adpellantur ſenſationes. Senſationes ergo naturæ & qualitati objectorum convenientes, adeoque veræ ſunt. §. 224.

§. 241.

Senſus ergo non erronee objecta repræſentant, h. e. non fallunt. *Coroll.*

Antiqua & a Carteſianis maxime ventilata quæſtio eſt in philoſophia, ad quam hodie facili negotio reſpondetur.

§. 242.

Sæpius autem fieri ſolet, ut ratiocinium ab experientia quadam elicitum pro ipſa venditetur experientia. *Def. Vitium Subreptionis.*

Ex. gr. Videt quis, quod appropinquante Magnete ferrum ſeſe verſus illum moveat eique firmiter adhæreat. Imaginatio ex aliis occaſionibus propoſitionem hanc in mentem reproducit: Quod ad alterum appropinquat, eique ſeſe adjungit, illud attrahitur. Exinde fit concluſio: Magnes ferrum attrahit. Quodſi hæc concluſio pro ipſa venditatur experientia, error committitur in ratiocinando.

Hocce vitium, quo id pro experientia venditatur, quod tantummodo ratiocinium eſt, ab experientia elicitum, adpellatur *Vitium Subreptionis*. Quoniam ſcilicet hoc modo propoſitiones ſubrepunt, quæ nondum fuerunt demonſtratæ.

Ex. gr. Videmus aſcendere vapores ex aqua, quando ſolis radii in aquam incidunt. Exinde fit concluſio: Sol attrahit aquam. Plurimi homines id pro experientia venditantes ſummopere contendunt, quod ipſi id viderint. Hæc itaque propoſitio ſubrepſiſſe dicitur.

§. 243.

Coroll. Propoſitio autem *ſubreptitia* non illico eſt *falſa*; poteſt eſſe *vera*, licet ſufficienter demonſtrata non ſit.

Ex. gr. Video, quando aër ſub campana Antliæ Pnevmaticæ in cylindrum ab aëre vacuum intromittitur, quod diſcus & campana arcte firmiterque cohæreant. *Id eſt, quod experior*. Si jam exinde concluderem: aër externus campanam premit verſus diſcum, ut ei

ei firmiter adhæreat; atque hanc propoſitionem me expertum eſſe contenderem, *ſubrepſiſſet* hæc propoſitio; ſed ea propter *falſa* non eſt; tantummodo legitime demonſtrata non eſt.

§. 244.

Propoſitio, cujus prædicatum Subjecto ineſſe vel non ineſſe per experientiam cognoſcitur, *Judicium Intuitivum* adpellatur. *Def. Judicium Intuitivum.*

Ex. gr. Luna ſpatio viginti novem dierum cum ſemiſſe circa tellurem ſe movet; eſt *judicium intuitivum*, quoniam prædicatum Subjecto ineſſe per experientiam novi.

Propoſitio autem, cujus prædicatum cum Subjecto per ratiocinium conjungitur, *Judicium Diſcurſivum* adpellatur. *Diſcurſivum.*

Ita §. anteced. propoſitio: Aër externus campanam premit verſus diſcum, eſt *Judicium Diſcurſivum*.

§. 245.

Per experientiam cognoſco, quod prædicatum in Subjecto deprehendatur. Prædicatum ergo eſt nota Subjecti. Notæ autem ſunt *Probl. Formare notiones per experientiam.*

vel

vel eſſentiales vel accidentales, §. 102. Ad ideas claras atque diſtinctas requiruntur notæ eſſentiales, per quas res ab omnibus aliis rebus diſcerni poteſt. §. 68. 80. Quare quando per experientiam claras & diſtinctas acquirere volo ideas, notas eſſentiales ab accidentalibus diſtinguere debeo. Hæ ſi diſtinguantur, obſervandum eſt, utrum prædicata in Subjecto per experientiam cognita ſemper Subjecto inſint, atque ita comparata ſint, ut illi ſemper ineſſe debeant. Id autem fit

1. Quando Subjectum ſub alias redigo circumſtantias, atque attendo, utrum priora prædicata adhuc in ipſo deprehendantur.

Ex. gr. Mævius in templo valde devotus eſt, præcatur, cantatque diligenter una cum aliis. Quodſi verò idem Mævius hominibus intereſt hilaritati ſeſe dantibus, temerario modo per omne quod ſacrum eſt, jurare, debacchari & ludicra agere non veretur. Pietas igitur ipſius talis non eſt, ut ipſi

ipſi *neceſſario* inſit. Lapis fornaci impoſitus eſt calidus; ſi in alium transfertur locum, poſt breve tempus redditur frigidus. Calor ergo ipſi *neceſſario* non ineſt, eſt ergo *nota accidentalis*.

2. Interdum penes me non eſt, ut Subjectum aliis ſubjicere circumſtantiis queam, ſed expectandum eſt, dum id ipſum aliis ſeſe immittit circumſtantiis; tum attendendum eſt, utrum eadem ipſius maneant prædicata.

Ex. gr. Sol oriens ovalem quandoque habere figuram videtur. Quod ſi ad iſtum meridiano tempore attendo, non ovalem, ſed perfecte rotundum illum eſſe deprehendo. Ovalis ergo figura eſt accidentalis nota ſolis.

3. Attendo etiam, utrum in ipſa natura & proprietatibus Subjecti, aut in aliis rebus Subjectum circumſtantibus aliquid deprehendatur, propter quod prædicatum ipſi ſemper ineſt.

Ex. gr. Roſa perpetuo odorem exhalat. Quodſi jam ipſius naturam

&

& compoſitionis modum conſidero, illam ubique ex tubulis compoſitam eſſe reperio, qui in extremis partibus patent. In ipſa igitur roſa rationem deprehendo, propter quam particulæ odoris continuo è tubulis patentibus exire queant. Hanc igitur notam oportet eſſe *eſſentialem.*

Si per experientiam tot eſſentiales notas inveni, quot ſufficiunt ad rem ab omnibus aliis diſcernendam: ideam illius rei habeo claram §. 68. Poſſum autem etiam notas iſtas mihi ſeparatim repræſentare in mente, habeo itaque etiam de notis claras ideas. Idea igitur *totalis* iſtius rei eſt diſtincta. §. 80. Modus ergo formandi ideas, §. 151. traditus ita confirmatur.

Ex. gr. Quodſi hoc modo eſſentiales *Adulatoris* notæ per experientiam eſſent indagandæ, & ex illis formanda adulatoris idea : aſſumerem aliquot adulatorum exempla. Curtius recenſet, quod Poëta *Agis* Alexandro M. carmen ſcripſerit, quo illum novum appellaverit Deum, atque Herculem & Patrem Liberum & cum Polluce

Polluce Caſtorem novo Numini ceſſuros jactaverit. Reſolvatur jam hæcce recenſio in tot judicia ſeparata, in quot reſolvi poteſt:

1. *Agis ſcripſit carmen.*
2. *Agis carmen Alexandro M. tradidit.*
3. *Agis Alexandrum M. appellavit novum Deum.*
4. *Agis jactavit Herculem reliquosque Deos, novo Deo ceſſuros.*

Ideam Adulatoris mihi jam quæſituro neceſſe eſt *eſſentiales* indagare notas, eaque ſeparatim ponere.

1. *Poëta Agis.*
2. *Carmen.*
3. *Alexander.*
4. *Deus.*
5. *Hercules.* nil niſi notæ accidentales ſunt, non ſemper & neceſſario in adulatore inveniendæ. Adhuc ergo alium aſſumo *Adulatorem*, & attendo, quid *Agis* cum illo qua adulatore commune habeat. Hæc enim prædicata, utrique communia propria ea ſunt, quæ illis propter *adulationem* competunt.

Docti

Docti quidam, ad alium quendam virum, eruditione ſua celebrem ſcripſerunt, neglectis omnibus prælectionibus Academicis in id potiſſimum incumberet, ut inchoata ſua opera philoſophica perficiat, & ad finem perducat; quoniam non deceat, illum eſſe doctorem unius Academiæ, quem providentia divina voluerit eſſe doctorem totius generis humani. Hanc recenſionem, ſi pariter in judicia ſua partialia reſolvo, ſequentia deprehendo:

1. *Quidam docti ſcripſerunt ad alium quendam virum, doctrina celebrem.*
2. *Quidam docti ſcripſerunt, ut alius quidam vir doctus atque celebris prælectiones Academicas negligat.*
3. *Id tantummodo agat, ut opera ſua philoſophica perficiat.*
4. *Eum non decere, Doctorem eſſe Academicum.*
5. *Divinam providentiam illum Doctorem totius generis humani conſtituiſſe.*

In hoc exemplo pariter

1. *Docti.*
2. *Celebris Doctus.*
3. *Neglectio prælectionum Academicarum.*

4. *Cura de continuatione operum philoſophicorum* &c. nihil aliud ſunt, quam notæ accidentales adulationis. Nihil ergo faciunt ad ideam adulatoris. §. 68.

Sed in utroque exemplo

1. *Nonnulli aliquid alteri tribuunt.*
2. *Tribuunt illi prærogativas & perfectiones.*
3. *Tribuunt illi prærogativas & perfectiones, quas in illo non deprehendunt.*
4. *In faciem iſtas ipſi tribuunt.*

Hæ notæ adulatori ſunt *eſſentiales;* hæ igitur ſimul ſumtæ ideam adulatoris ſiſtunt. *Adulator* ergo eſt talis homo, qui alteri prærogativas & perfectiones in faciem tribuit, quas in illo non deprehendit.

§. 246.

Probl. Facere propoſitiones Univerſales.

Per experientiam acquiro tantummodo propoſitiones individuales. §. 235. Facturus itaque propoſitiones *Univerſales*, inquiro juxta §. 181. in rationem, propter quam prædicatum Subjecto tribuitur. Quodſi ratio illa in ipſa natura & eſſentia Subjecti reperiatur: prædicatum de Subjecto ſemper & univerſaliter eſt enunciandum.

Ex. gr. Video hominem tranquillo gaudentem animo, atque hilari. Ratio, cur tranquillo hilarique gaudeat animo, in eo reperitur, quia verus eſt Chriſtianus, qui de reconciliatione ſua cum Deo, per ſanguinem Chriſti facta, certus eſt. Exinde ergo univerſaliter concludo: *Omnes veri Chriſtiani tranquillo hilarique gaudent animo.* Quod ille homo tranquillo hilarique gaudeat animo, per *experientiam* novi. Quod ratio hujus prædicati reperiatur in certitudine ipſius de reconciliatione cum Deo, itidem per *experientiam* novi. Ergo per *experientiam* pervenire poſſumus ad cognitionem propoſitionum univerſalium.

§. 247.

Theor. Propoſitiones experientia duce formata ſunt certa.

Omnes propoſitiones, quas per experientiam legitimo modo cognovi, mihi *certæ* ſunt. Propoſitiones, quas per experientiam novi, ſunt ſenſationes. §. 234. Jam verô ſenſationes mihi ſunt certæ. §. 240. Ergo propoſitiones, quas per experientiam legitimo modo acquiro, etiam mihi *certæ* eſſe debent. §. 248.

§. 248.

Ex his fluit: *Coroll.*

1. Quod etiam ideæ & definitiones, quas experientia duce formavi, §. 245. mihi certæ eſſe debeant.
2. Quod etiam propoſitiones indemonſtrabiles, Axiomata & Poſtulata, eſſe debeant certæ. Pendent enim a definitionibus terminorum. §. 183. jam ſi illæ certæ ſunt, No. 1. etiam has oportet eſſe certas.

§. 249.

Probl. Invenire propoſitionem certam per demonſtrationem.

Altera ad certitudinem perveniendi via eſt per *demonſtrationem.* Ad hanc requiruntur juxta §. 210.

1. Indemonſtrabiles atque certæ præmiſſæ. Id adpellatur *Materiale Demonſtrationis.*
2. Legitima concatenatio Ratiociniorum. Id adpellatur *Formale Demonſtrationis.*

Inventurus ergo propoſitionem certam per demonſtrationem, debet

1. Experientias, Definitiones & propoſitiones indemonſtrabiles habere.

Hæ enim ſunt præmiſſæ certæ. §. 247. 248.

2. Ex illis legitime debet ratiocinari, & ratiocinia legitimo modo concatenare. Hoc enim modo perſpicit, cur e duabus propoſitionibus eliciatur tertia, adeoque fit certus. §. 230.

3. In demonſtrando non committere debet circulum. Nam per circulum in demonſtrando nihil demonſtratur. §. 221. Si quis in una alterave harum trium regularum deficit, propoſitio ipſius manet incerta. §. 232.

§. 250.

Def. Quid ſit demonſtrare a priori & poſteriori?

Incipere â propoſitione aliqua demonſtranda, ab eaque retrogredi ad propoſitiones usque indemonſtrabiles, eſt *Demonſtrare à poſteriori & analytice.* Incipere autem à propoſitionibus indemonſtrabilibus, ab iisque pergere ratiocinando usque ad propoſitionem aliquam demonſtrandam, eſt *Demonſtrare à priori & ſynthetice.*

Exemplum demonſtrationis Analyticæ.

Ex. gr. Si analytice demonſtranda eſſet hæc propoſitio: Deus caret affectibus; ita ratiocinando eſſet retrogrediendum:

1. Qui nullos ſenſitivos appetitus & averſationes habet, ille caret affectibus. Atqui

Atqui Deus nullos habet appetitus ſenſitivos & averſationes;
Ergo Deus caret affectibus.
Propoſitio Major eſt Axioma, quod e definitione affectus patet.
Propoſitio Minor autem probetur.

2. Qui non habet repræſentationes confuſas, ille nec ſenſitivos appetitus & averſationes habet.
Atqui Deus nullas habet repræſentationes confuſas;
Ergo Deus nullos ſenſitivos appetitus habet & averſationes.
Propoſitio Major patet e definitione appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ.
Minor autem probetur.

3. Qui omnia ſibi diſtinctiſſime repræſentat, ille nullas habet repræſentationes confuſas.
Atqui Deus omnia ſibi diſtinctiſſime repræſentat;
Ergo Deus nullas habet repræſentationes confuſas.
Major hujus Syllogismi eſt Axioma.
Minor autem probetur.

4. Qui perfectiſſimo gaudet intellectu, ille omnia diſtinctiſſime ſibi repræſentat;
Atqui Deus perfectiſſimo gaudet intellectu;
Ergo Deus omnia ſibi diſtinctiſſime repræſentat.

Major patet e definitione intellectus perfectiſſimi.

Minor probetur.

5. Perfectiſſimus Spiritus habet etiam intellectum perfectiſſimum;
Deus eſt Spiritus perfectiſſimus;
Ergo Deus habet intellectum perfectiſſimum.

Major iterum patet ê definitione Spiritus perfectiſſimi.

Minor eſt definitio Dei.

Tali modo non niſi certæ adhibebantur præmiſſæ, adeoque demonſtrata eſt a poſteriori & analytice propoſitio: *Deus caret affectibus.*

Quodſi eadem propoſitio a priori & Synthetice eſſet demonſtranda, poſſem ſimpliciter retrogredi faciendo e quinto Syllogiſmo primum, e quarto ſecundum, & ita porro. Ita primus Syllogiſmus non niſi indemonſtrabiles haberet præmiſſas, & ultimi Syllogiſmi concluſio eſſet propoſitio demonſtranda.

§. 251.

Exemplum demonſtrationis Syntheticæ.

Manet autem idem valor demonſtrationis, licet propoſitiones non per integros Syllogiſmos, ſed ordine ſuo naturali, prout una ex altera fluit, adſtruantur. Hac autem Methodo plerumque nomina propoſitionum apponuntur, ut

etiam

etiam *veſte* appareant *mathematica*. Ex. gr.

Nr. 1. *Def.* Deus eſt ſpiritus perfectiſſimus, qui mundum & omnia Entia finita creavit.

Nr. 2. *Def.* Spiritus eſt Ens intellectu & voluntate prœditum.

Nr. 3. *Axioma.* Spiritus perfectiſſimus, intellectu perfectiſſimo & voluntate ſanctiſſima, prœditus eſt.

Nr. 4. *Def.* Intellectus eſt facultas res ſibi diſtincte repræſentandi.

Nr. 5. *Ax.* Intellectus perfectiſſimus eſt facultas omnia diſtinctiſſime ſibi repræſentandi.

Nr. 6. *Ax.* Qui omnia diſtinctiſſime ſibi repræſentat, ille repræſentationes confuſas non habet.

Nr. 7. *Def.* Appetitus rei cujusdam, quæ tanquam bona, ſed confuſe repræſentatur, Appetitus ſenſitivus adpellatur. Averſatio rei alicujus, quæ tanquam mala, ſed confuſe repræſentatur, Averſatio ſenſitiva adpellatur.

Nr. 8. *Ax.* Qui ergo repræſentationes confuſas non habet, etiam ſenſitivos appetitus & ſenſitivas averſationes non habet.

Nr. 9. *Def.* Affectus eſt vehementior gradus appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ.

Nr. 10. *Ax.* Qui ergo ſenſitivos appetitus & averſationes non habet, ille caret affectibus.

Nr. 11. *Theor.* Deus caret affectibus.

Demonſtratio.

Deus enim eſt Spiritus perfectiſſimus, Nr. 1. perfectiſſimum ergo habet intellectum. Nr. 3. quam ob rem omnia ſibi diſtinctiſſime repræſentat, Nr. 5. nec ullas habet repræſentationes confuſas; Nr. 6. adeoque nullos habet appetitus ſenſitivos nullasque averſationes ſenſitivas; Nr. 8. Ergo Deus caret affectibus. Q. E. D.

Nr. 12. *Schol.* Id in cauſa eſt, quare Theologi dicunt: *Deus caret affectu, ſed non effectu.* Homo iratus illa à ſe removet, quæ pro malis habet. Quando igitur Deus O. M. illa removet, quæ mala ſunt in ipſius oculis: propter hunc effectum ira ipſi adſcribitur, licet affectu iræ plane careat.

§. 252.


Uſus demonſtrationis analyticæ & ſyntheticæ. Modus iſte per ratiocinia, præcipue analytice adſtructa, demonſtrandi veritatibus quidem inveniendis nihil inſervit. Oportet enim iſtas jam eſſe inventas, quando

do demonſtrari debent. Ad id autem facit, ut demonſtrationem eo diſtinctius perſpiciamus, adeoque de propoſitione demonſtrata certi ſiamus. §. 231. Modus autem iſte per ratiocinia ſynthetice adſtructa demonſtrandi propoſitiones allatas, præcipue in docendo magnum præſtat uſum, diſcipuloſque in eum redigit ſtatum, ut per ſemetipſos veritates invenire ſibi videantur. Docens igitur in gratiam ſuorum diſcipulorum ſimulat, ac ſi theoremata demum adinvenire ſibi propoſuiſſet. Reticet ergo ipſa theoremata, & diſcipulos per cognitas jam easque certas propoſitiones ad eorum inventionem quaſi manuducit.

Ex. gr. Si cui docenti demonſtrandum eſſet ſequens Theorema Geometricum: *Latus Hexagoni regularis æquale eſt radio Circuli, cui Hexagonum eſt inſcriptum*; non ita incipit, ut diſcipulis ſuis theorema hocce ipſum ſtatim proponat, ſed agit cum illis quaſi deliberando & conſultando, quantum latus hujus Hexagoni eſſe poſſit vel debeat? Deſcribit itaque Hexagonum

 regu-

Fig. 2.



regulare. Fig. 2. Ipſo aſpectu hujus figuræ acquiritur Judicium intuitivum per experientiam. A B C D E F eſt Hexagonum regulare. Quærit itaque ex auditoribus ſuis, quid jam jam ipſis innotuerit de Polygono regulari in genere, moramque ipſis aliquam concedit dum imaginatio ipſis theorema ſequens in mentem reproducit: Omnium polygonorum regularium anguli ad centrum reperiuntur, quando 360° cum numero laterum dividuntur. Concluditur itaque: Ergo etiam hujus Hexagoni angulus ad centrum X. reperitur, quando 360° dividuntur cum numero 6. *Primus hic eſt Syllogiſmus.* Hæc concluſio denuo fiat Major novi Syllogiſmi. Hexagoni regularis angulus ad centrum X. reperitur, quando 360° dividuntur per 6. Quando autem 360° dividuntur per 6. prodit 60°. Ergo angulus ad centrum X. eſt 60°. *Secundus hic eſt Syllogiſmus.* Porro jubet docens ſuos auditores, ut in memoriam ſibi revocent aliquid ex iis, quæ jam in Geometria recte didicerint; ex.

ex. gr. quomodo inveniri reliqui duo anguli in Triangulo poſſint, quando unus eſt datus? Si theoremata antecedentia bene hauſerunt, absque mora ipſis in mentem veniet theorema ſequens: Si angulus aliquis Trianguli ab 180° ſubtrahitur, ſuperſunt reliqui duo anguli. In hoc ergo caſu noſtro, ſi 60° ab 180° ſubtrahuntur, angulus X Trianguli A B C a tribus angulis ſubtrahitur. Quando igitur hoc in caſu 60° ab 180° ſubtrahuntur, remanent reliqui duo anguli A & B. *Tertius hic eſt Syllogismus.* Si 60° ſubtrahuntur ex 180° remanent 120°. Hoc eſt judicium intuitivum per experientiam. Si vero 60° ex 180° ſubtrahuntur, remanent reliqui duo anguli A & B. Ergo anguli A & B. æquales ſunt 120°. *Quartus hic eſt Syllogismus.* Si porro figuram conſidero, facile eſt animadvertere, quod duo crura Trianguli A B C, A C & B C ſint radii. Imaginatio ſtatim in mentem reproducet Axioma: Omnes radii unius ejusdemque Circuli ſunt æquales. Ergo iſta duo crura A C & B C. ſunt æqualia. *Quintus hic eſt Syllogismus;* cujus concluſione percepta imaginatio in memoriam reproducet Definitionem: Triangulum æquicrurum eſt, cujus duo crura ſunt æqualia. Atqui in Triangulo

gulo A B C duo crura ſunt æqualia; ergo Triangulum A B C eſt Triangulum æquicrurum. *Sexti hujus Syllogiſmi* concluſio occaſionem præbet docenti auditores ſuos interrogandi, quid ipſis innotuerit jam de Triangulis æquicruris? Imaginatio in mentem revocabit theorema ſequens: In Triangulo æquicruro duo anguli ad baſin ſunt æquales; Ergo etiam in Triangulo A B C duo anguli ad baſin ſunt æquales. *Septimus hic eſt Syllogiſmus.* Jam mihi notum eſt, quod anguli A & B ſint æquales. Supra in Syllogiſmo quarto dictum fuit: A & B ſunt æquales 120°. Hac occaſione docens ſuos interrogabit diſcipulos: utrum nihil didicerint ex Arithmetica, quod heîc ad rem faceret? Ex. gr. Quo modo duarum quantitatum æqualium, quarum ſumma mihi eſt cognita, quælibet ſeparatim poſſit inveniri? Poteſt id exemplo illuſtrari. Sint duo faſciculi numis repleti, quorum quilibet tantundem continet numorum, quantum alter, & ſimul ſumti continent 120. florenos. Quæritur itaque quantum quisque contineat? Imaginatio mox in memoriam revocabit: Si ſummam duarum quantitatum æqualium in partes dimidias ſeparo, tum quamvis quantitatem ſeparatim habeo. Si ſummam 120° in partes

partes dimidias ſeparo, ſummam duorum angulorum A & B in partes dimidias ſeparo, anguli autem iſti ſunt æquales. Ergo ſi ſummam 120° in partes dimidias ſeparo, habeo magnitudines angulorum A & B ſeparatim. Concluſio hujus *octavi Syllogiſmi* fiat jam Major: Si ſummam 120° in partes dimidias ſeparo, habeo magnitudines angulorum A & B ſeparatim. Atqui ſi 120° in partes dimidias ſeparo, habeo 60°. Ergo 60° eſt magnitudo anguli A & B ſeparatim ſpectati. *Nonus hic eſt Syllogiſmus.* Dictum autem eſt ſupra in Syllogiſmo ſecundo, Angulum X eſſe itidem 60°. Tres ergo anguli Trianguli A B C, A & B & X ſeparatim ſpectati habent 60°. Si vero omnes tres anguli Trianguli ſunt æquales, etiam tria latera iſtius Trianguli ſunt æqualia. Hocce theorema imaginatio in mentem reproducit. Ergo tria latera Trianguli A B C ſunt æqualia. *Decimus hic eſt Syllogiſmus.* Jam experientia Judicium Intuitivum ſuppeditat; Latus hexagoni AB, & radius circuli hexagonum includentis ſunt latera Trianguli A B C. Tria latera autem Trianguli A B C ſunt æqualia, vi Syllogiſmi decimi. Ergo latus hexagoni A B & radius circuli hexagonum includentis A C ſunt æqualia.

Tali

Tali modo igitur Theorema inventum eſt ex ante cognitis iisque certis præmiſſis, & ex judiciis intuitivis, ab experientia ſuppeditatis. Ita ergo Synthetice demonſtratum eſt Theorema. §. 250.

§. 253.

Uſus Methodi Analyticæ in docendo.

Poteſt autem etiam *Methodus Analytica* in docendo per quam utiliter adhiberi. Quando enim Theorema aliquod proponitur, eoque propoſito illa indagantur, quæ ſcitu neceſſaria ſunt, ſi de illo volimus eſſe certi: præclarum ſane id eſt negotium ad exercendum in meditando intellectum.

Ex. gr. Si theorema §. anteced. allatum eſſet propoſitum, docens ſequentem in modum ſuis cum diſcipulis ageret: Theorema noſtrum ita effertur: *Latus Hexagoni eſt æquale radio circuli Hexagonum includentis.* Quodſi jam ſcire poſſem, utrum latera Trianguli A B C ſint æqualia? tum facile eſſet concludere: Latus Hexagoni & Radius ſunt latera Trianguli; Ergo ſunt æqualia. Ad hanc autem laterum æqualitatem tantummodo neceſſum eſſet ſcire, utrum tres anguli ſint æquales?

les? tum enim argumentarer: cujus Trianguli tres anguli ſunt æquales, illius etiam tria latera ſunt æqualia; In triangulo A B C tres anguli ſunt æquales; Ergo etiam illius tria latera ſunt æqualia. Quoniam igitur indagandum eſt, utrum anguli ſint æquales? cogitandum eſt, utrum de uno alterove angulo aliquid jam ſit cognitum? Si figuram aſpicio, animadverto, quod angulus X ſit angulus ad centrum Hexagoni regularis. Diligenti diſcipulo, qui antecedentia bene percepit, imaginatio facile in mentem reproducet ſequentem propoſitionem: Magnitudo anguli ad centrum reperitur, quando 360°. per numerum laterum dividitur. Si ergo per 6. divido, prodeunt 60°. Quæritur ergo, quantum remanet duobus reliquis angulis? Qui antecedentia rite novit, ſtatim reſpondebit: Tantum remanere, quantum remanet, ſi 60° ſubtrahuntur ex 180°. Cur? quia in quovis Triangulo reliqui duo anguli remanent, ſi tertium ex 180° ſubtraho. Atqui, ita pergitur ratiocinando, remanent 120°, quando 60° ſubtraho ex 180°. Ergo duobus reliquis angulis remanent 120°. Jam quidem ſumma utriusque mihi eſt cognita; vellem autem ſcire,

re, quantum unicuique ſeparatim ſpectato ſit attribuendum. Quod ſi duo iſti anguli eſſent æquales, ex arithmetico theoremate decidi res facile poſſet, dicendo: Si ſumma duarum quantitatum æqualium in duas partes dimidias ſeparo, habeo utramque quantitatem ſeparatim datam. Jam vero mihi adeſt ſumma duarum quantitatum æqualium; quapropter ſi iſtam in duas partes dimidias ſeparo, habeo utramque quantitatem ſeparatim. Sed quæritur jam, quæ via eſt ineunda, ut reperiam, duos iſtos angulos A & B eſſe æquales? Aſpiciendo figuram animadverto, A C & AB tanquam duo crura Trianguli eſſe radios Circuli. Atqui omnes radii ſunt æquales; Ergo etiam duo crura Trianguli AC & AB ſunt æqualia. Si duo crura ſunt æqualia, etiam duo anguli ad baſin æquales eſſe debent. Jam vero in Triangulo ABC duo crura ſunt æqualia; ergo etiam duo anguli ad baſin ſunt æquales. Si æquales ſunt, & ſumma eorum eſt 120°. quilibet ſeparatim 60° habeat neceſſe eſt; ſi quilibet ſeparatim ſpectatus 60° habet, æquales ſunt angulo ad centrum X. Si angulo ad centrum X æquales ſunt, etiam omnes tres anguli ſunt æquales. Si omnes

omnes anguli ſunt æquales, etiam omnia latera ſunt æqualia. Si omnia latera ſunt æqualia, etiam radius Circuli & latus Hexagoni, tanquam duo Trianguli latera, ſunt æqualia. Q. E. D.

Hæc methodus *Analytica* in docendo eſt perquam utilis ad id

1. Ut tironibus aperiantur oculi, ut videant & animadvertant, quid atque quantum valeat demonſtrationis robur.
2. Ut practice ipſis inculcetur ea neceſſitas; ut ſcilicet antecedentia plane omnia recte ac ſolide percipiant. Cum enim prima principia plerumque captu ſint facilia: fieri ſolet ut tirones præjudicio planitatis capti operæ pretium eſſe non putent, quare diligenter attendant. Sed deinde in ſequentibus ubique hæret aqua.
3. Si facta demonſtratione analytica denuo theorema vel problema quoddam aſſumimus, illudque etiam ſynthetice demonſtramus: fieri non poteſt, quin & illi auditores, qui obiter tantummodo attendunt, rem demonſtratam capiant atque in memoria retineant.
4. Imo & id verum eſt, quod hac ratione non poſſit non acquiri habi-

tus in demonſtrando, quem ſane nemo acquiret per ſolam Logicæ theoriam, niſi hæc modo recenſita accedat praxis. Dicet fortaſſe aliquis: ita multum temporis eſſet inſumendum, exiguos admodum ita futuros in ſcientiis profectus. Verum certus ego ſum, quod rem acu tetigerit Excellentiſſimus BILFINGERUS, quando aliquando in diſcurſu privato dixit, quod ille, qui facilia tardiuſcule didicerit, per unum annum, ſi una tantum hora per diem præceptore utatur, majores facturus ſit profectus, quam alius quidam per biennium facturus ſit, qui facilia velociter tractet & quotidie duas horas audiat doctorem. Eſt id legibus intellectus noſtri maxime conveniens, ut ille cui præmiſſæ certæ ſunt & penitus perſpectæ, facillime ex iis ſuas elicere poſſit concluſiones. Cum ê contrario ille, cui præmiſſæ adhuc ſunt incertæ nondumque ſatis exploratæ, ubique hæreat, tutumque proferre pedem nusquam queat. Maneat iſtud: Non multa, ſed multum.

§. 254.


Def. Demonſtratio Directa ſ. Oſtenſiva. Demonſtratio, in qua ex definitione Subjecti legitimo modo concluditur,

cluditur, quod ipſi prædicatum competat, adpellatur *Demonſtratio Directa ſ. Oſtenſiva.* Vid. Exempl. §. 250.

Demonſtratio autem, in qua oppoſitum propoſitionis demonſtrandæ aſſumitur, & ex illo per legitima ratiocinia ad ejusmodi propoſitionem aliquam devenitur, quæ abſurda eſt & falſa, adpellatur *Demonſtratio Apogogica ſ. Deductio ad abſurdum vel impoſſibile.* ***Demonſtratio indirecta.***

Ex. gr. Si demonſtrandum ſit theorema ſequens: Duo latera trianguli rectilinei ſimul ſumta, ſemper majora ſunt latere tertio; aſſumo oppoſitum hujus propoſitionis:

Fig. 3.



duo latera A C & B D tantam magnitudinem non habent, quantam latus A B. Ergo latus A C tegit A E, & D B tegit F B. ergo ſpatium non includunt. Ergo etiam hæc tria latera non includunt ſpatium. Triangulum enim eſt ſpatium tribus lineis incluſum. Ergo Triangulum A B C non eſt Triangulum. Atqui id impoſſibile eſt

& abſurdum. Ergo oppoſitum, quod aſſumſi, eſt falſum, prior autem propoſitio eſt vera.

§. 255.

Cautela circa demonſtrationem indirectam. In demonſtratione indirecta ex oppoſito aſſumto legitima deducenda ſunt ratiocinia. Nam ſi legitima non ſunt, poſſum quidem etiam ad propoſitionem aliquam falſam & abſurdam devenire, ſed ob id ipſum, quoniam legitime ratiocinatus non ſum, nondum ſequitur, quod propoſitio mea demonſtranda ſit vera.

Ex.gr. Propoſitio Sadducæorum erat: *Nulla datur reſurrectio mortuorum.* Aſſumebant oppoſitum hujus propoſitionis: *Datur reſurrectio mortuorum.* Exinde inferebant: Si datur reſurrectio mortuorum, uxores ſuos recuperabunt maritos; Ergo etiam illa uxor, quæ ſeptem habebat maritos, etiam omnes ſeptem eſt recuperatura. Si unum tantummodo recuperaret, reliqui ſex eſſent ſine uxore. Id autem eſſet abſurdum & inconveniens. Si vero omnes ſeptem recuperaret, id etiam eſſet abſurdum & inconveniens,

niens, ſi una uxor ſeptem haberet maritos. Ergo nullum poteſt recuperare; ergo etiam *nulla eſt reſurrectio mortuorum.* In hac demonſtratione falſum eſt iſtud ratiocinium: Si datur reſurrectio mortuorum, etiam uxores ſuos recuperabunt maritos; id quod etiam Chriſtus in reſponſione ſua manifeſtavit. Nullius ergo momenti eſt hæc Indirecta Demonſtratio Sadducæorum, quam tanquam alterum *Achillem* producebant in aciem.

Sectio Tertia.

De Probabilitate.

§. 256.

Def. Origo Probabilitatis & quid ſit?

EXperientia docet, quod pauci homines plene perſpiciant convenientiam idearum atque propoſitionum ſuarum; immo quod in genere tam plenam perſpicientiam conſenſus cognitionis ſuæ, cum rebus ipſis earumque na-

tura & indole, non habeant, ut *abſque formidine oppoſiti* eſſe queant. Pauci ergo homines de cognitione ſua ſunt certi. §. 231. Immo dantur innumerabiles in mundo res, præteritæ, præſentes & futuræ, quæ non in ipſos noſtros cadunt ſenſus, quarum adeo ipſi experientiam habere nullam poſſumus. Intellectus etiam noſter omniſcius non eſt, ut nexum omnium rerum intueri eundemque demonſtrare poſſit. Hæc talia ergo nobis nec phyſice nec mathematice certa eſſe poſſunt. §. 231. Quoniam autem nihilominus veritates manent veritates, licet cognitio noſtra de iis tam certa non ſit; Logica autem nos doceat recte uti viribus intellectus noſtri in cognoſcenda veritate: neceſſe eſt omnino, ut nobis oſtendat, *qua ratione intellectu noſtro uti debeamus in iis etiam veritatibus, de quibus per ſufficientes rationes tam certi non ſumus, ut nulla amplius adſit oppoſiti formido.* Hujusmodi

modi veritates dicuntur *Probabiles.* Quemadmodum itaque nonnullæ veritates tantummodo reſpectu noſtræ cognitionis aut certæ ſunt, aut incertæ: ita aliæ veritates etiam tantummodo reſpectu noſtri aut *probabiles* ſunt, aut *improbabiles.* Reſpectu autem veritatum ipſarum in ſe conſideratarum manent illæ veræ atque certæ, utut nobis tam perſpectæ & exploratæ non ſint.

Ex. gr. *Utrum planetæ inhabitentur nec ne?* in ſe conſiderata propoſitio talis eſt & manet, qualis eſt. Alterutrum debet eſſe verum, & quidem æque verum, ac illud, quod bis duo faciant quatuor. Sed reſpectu noſtri demonſtratum adhuc nihil eſt, ut queamus eſſe certi. Qui vult, poteſt finitudinem atque debilitatem intellectus humani ex hujusmodi rebus clariſſime ob oculos ſibi ponere.

Veritates probabiles, de quibus quidem nec per experientiam nec per demonſtrationem, attamen per tot rationes facti ſumus certi, ut nulla amplius dubitandi

cauſa adſit, adpellantur *Veritates moraliter certæ.*

Ex. gr. Quod primus Imperator Romanus, Auguſtus fuerit appellatus, de eo quidem nec per experientiam propriam, nec per demonſtrationes certi poſſumus fieri. Adſunt autem tot rationes, ut dubitationi nullus relinquatur locus.

§. 257.

Def. Idea probabilis. *Idea Probabilis* ergo eſt talis repræſentatio rei, cujus convenientiam cum re ipſa ê quibusdam quidem, non autem ê ſufficientibus perſpicere datur rationibus Rationes ſufficientes exhibent Experientia & Demonſtratio. §. 223. Per has reddimur certi, ita ut nulla adſit formido oppoſiti. §. §. 247. 249. Ubi hæ rationes non adſunt, nec tamen plane deſtituti ſumus rationibus, ibi ſemper adeſt formido oppoſiti.

Ex. gr. Wolfii idea de Aurora Boreali (Nord = Licht) ponitur in immatura tempeſtate. Hæc idea eſt *probabilis;* quoniam illius convenientia cum Aurora Boreali tantummodo

tummodo ê quibusdam, non autem ſufficientibus perſpicitur rationibus.

§. 258.

Propoſitio Probabilis eſt, quando aliquas non autem ſufficientes perſpicimus rationes, cur prædicatum Subjecto ſit attribuendum. ***Def. Propoſitio Probabilis.***

Ex. gr. Stellæ fixæ ſunt Soles, ſuisque circumdatæ ſunt planetis uti noſter Sol. Adſunt quidem nonnullæ, ſed non ſufficientes rationes, propter quas prædicatum ſubjecto tribuendum. Eſt ergo *propoſitio probabilis.*

Syllogismus, cujus alterutra præmiſſarum eſt probabilis, dicitur *Syllogisinus probabilis.* ***Syllogismus probabilis.***

Ex. gr. Qui bono pollet ingenio, bona utitur inſtitutione, atque amore litterarum ducitur, ille aliquando evadet vir doctus. Atqui Cajus bono pollet ingenio, bona utitur inſtitutione, atque amore litterarum ducitur; Ergo Cajus aliquando evadet vir doctus. Major tantummodo probabilis eſt. Nondum enim ſufficientes adſunt rationes, propter quas prædicatum Subjecto ſit tribuendum. Poteſt enim Cajus

 morbis

morbis frequenter affici, aut prava ſociorum conſuetudine in tranſverſum agi.

§. 259.

Coroll. Ex his definitionibus luculenter patent ſequentia:

1. Quo plures rationes, tanquam veritatis requiſita, adſunt, eo probabilior eſt propoſitio; & viciſſim: quo pauciores adſunt, eo improbabilior eſt propoſitio.
2. Omne probabile debet eſſe poſſibile; ſed non omne poſſibile eſt etiam probabile.

Ex. gr. Poſſibile eſt, me fieri centenarium, ſed non eſt probabile. Ad id ut aliquid ſit poſſibile, nihil amplius requiritur, quam ut nulla adſit contradictio; ſed id nullam ſuppeditat rationem, cur res ita ſe habere debeat.

3. Propoſitio uni probabilis alteri certa eſſe poteſt.

Ex. gr. Propoſitio: Terra circa polos eſt depreſſior, quam circa æquatorem; poteſt nonnullis eſſe probabilis; Phyſicis autem eſt certa, quoniam & experientiam & demonſtra-

monſtrationem pro ea militare norunt.

4. Propoſitio nobis improbabilis alteri poteſt eſſe certa.

Ex. gr. Dantur duæ lineæ, quæ ſubinde ſibi met ipſis propius accedere poſſunt. Hæc propoſitio Mathematicis certa eſt, a quibus iſtæ lineæ adpellantur aſymptota; plurimis hæc propoſitio improbabilis videbitur.

5. Propoſitio nobis probabilis poteſt eſſe falſa.

Ex. gr. Ruſticus ita ratiocinatur: Quidquid paſtor meus facit, illud eſt licitum; atqui paſtor meus dat epulas in dedicatione Templi; Ergo Epulæ tempore dedicationis templi ſunt licitæ. Major ruſtico eſt probabilis, ſed falſa. Dantur exempla, quæ docent, quod paſtores manifeſto mala patrent; an illa mala ea propter ſint licita?

6. Propoſitio ergo probabilis eſt mutabilis. Poteſt enim eſſe falſa; adeoque etiam fieri poteſt, ut ego falſitatem ejus cognoſcam. Et tum non amplius eſt probabilis, adeoque mutabilis.

7. De

7. De veritate moraliter certa dubitari nequit.

Quoniam enim nulla de ea dubitandi ratio adeſt, §. 246. abſurdum eſſet iſtam negare. Sed, *inquis*, nec per experientiam, nec per demonſtrationem de ea certi poſſumus fieri. Ad id poſſet reſponderi, quod *Cicero* dixit *in Orat. pro Arch. c. 4. n. 8. Ridiculum eſt, ad ea, quæ habemus, nihil dicere; quærere quæ habere non poſſumus.* Impoſſibile eſt de omnibus rebus per viam aut experientiæ aut demonſtrationis acquirere certitudinem.

§. 260.

Def. Opinio. Propoſitio nondum ſufficientibus demonſtrata rationibus, dicitur *Opinio.* Cujus quædam tantum, non autem ſufficientes adſunt rationes, illud eſt probabile. §. 246. Quidquid ergo de propoſitionibus probabilibus dictum eſt, §. 249. id etiam valet de *Opinione.* Et quoniam plerumque homines ſuum præbent aſſenſum propoſitionibus nondum ſufficienter demonſtratis, verum eſt iſtud adagium,

um, quo dicitur, *Mundum regi opinionibus.*

§. 261.

Prædicatum quod in propoſitionibus probabilibus Subjecto tribuitur eſt *Diviſio probabilitatis.*

1. Vel aliquid quod olim factum eſt.
2. Vel res aliqua, quæ nunc fit atque eſt, a nobis autem non ſentitur.
3. Vel aliquid, quod demum eſt futurum.
4. Vel cauſa & modus, cur & quomodo aliquid fiat.
5. Vel verus ſenſus verborum, quibus ſcriptor aliquis uſus eſt.

Hinc diviſio Probabilitatis, in 1.) *Hiſtoricam*; 2.) *Politicam*; 3.) *Practicam*; 4.) *Phyſicam*; 5.) *Hermenevticam.*

§. 262.

Propoſitio probabilis Hiſtorica eſt, ſi res quædam facta Subjecto adſcribitur ob aliorum teſtimonium fide dignum. *Def. Probabilitas Hiſtorica.*

Ex.

Ex. gr. Cæſar viginti tribus in curia Romana vulneribus eſt occiſus. Eſt propoſitio probabilis hiſtorica. Teſtimonium enim multorum Scriptorum eſt fide dignum.

Quodſi mihi talis propoſitio fieri debeat probabilis, neceſſe eſt, ut illi aſſenſum præbeam propter teſtimonium aliorum. Aſſenſus, qui propoſitioni præbetur ob teſtimonium aliorum, dicitur *Fides Hiſtorica*, & quidem *Humana*. Ad Hiſtoricam probabilitatem ergo requiritur *Hiſtorica Fides*. Quoniam enim non omnia propriis percipere ſenſibus poſſum, etiam non de omnibus per propriam experientiam certus fieri poſſum. Et quoniam intellectus meus omniſcius non eſt, ut omnium rerum nexum perſpicere & demonſtrare valeret: nihil mihi relictum eſt in rebus jam factis, quas videre mihi ipſi non licuit, præter teſtimonium aliorum. *Fides ſalvifica* eſt aſſenſus Evangelio datus propter teſtimonium ſpiritus ſancti in anima.

De

De fide ſalvifica ergo hîc ſermo non eſt. Quoniam enim hicce ſpiritus & fallere & falli neſcius eſt, etiam illius teſtimonium falſum eſſe non poteſt, adeoque certum eſt; propoſitio itaque, cui propter hocce teſtimonium meum aſſenſum præbeo, eſt certa, adeoque non probabilis tantum.

§. 263.

Ut Propoſitio Hiſtorica mihi fiat probabilis, teſtimonium debet eſſe fide dignum. Ut teſtimonium fide dignum ſit, etiam teſtis ipſe fide dignus eſſe debet. *Teſtis fide dignus* eſt, qui veritatem dicere non ſolum poteſt, ſed & vult. Requiſita igitur ipſius ſunt ſequentia: *Requiſita Teſtis.*

1. Ratione intellectus debet eſſe vir prudens atque intelligens & ad dijudicandam veritatem aptus atque idoneus.
2. Ratione voluntatis careat ſtudio partium, nec propria utilitate aut honore ductus aliquid dicat.

3. Ra-

3. Ratione ſenſuum oportet, ut aut ipſe rem viderit, aut ab iis perceperit, qui ipſi rem viderunt.
4. Ratione temporis & loci oportet eum illo tempore ac loco vixiſſe, quo tempore & loco res facta eſt, aut ab ejusmodi hominibus rem percepiſſe.

§. 264.

Coroll. Ex his requiſitis Teſtis ſequentia fluunt:

1. Teſtimonium viri prudentis in rebus quæ meditationem poſcunt, probabilius eſt, quam hominis rudis; in rebus autem a ſolo ſenſuum uſu pendentibus tantundem valet teſtimonium rudis, ac prudentis.

Ex. gr. Sermo Chriſti: *frangite hocce templum;* penſitatione opus habebat. Quapropter hominum rudium, qui de fractione templi Hieroſolymitani verba iſta intelligebant, teſtimonium fide dignum non eſt. E contrario ad reſurrectionem

ctionem Lazari teſtandam opus tantummodo erat ſenſibus, qui illum videbant vivum, qui in ſepulcro fœtorem jam edebat. Hoc igitur in caſu hominum maxime rudium infimæque conditionis teſtimonium tantundem valet, ac prudentiſſimorum.

2. Recenſio facta ex ſtudio partium tam fide digna non eſt, quam illa quæ absque ſtudio partium eſt facta.

Ex ſtudio partium autem agere ille dicitur, qui vel amore vel odio alicujus ſectæ, nationis, familiæ, cauſæ &c. ductus aliquid recenſet. Ex. gr. Hiſtoria Maimburgi, Jeſuitæ, de Reformatione; item Hiſtoria Epiſcopi Boſſueti de mutationibus inter Proteſtantes, fide digna non eſt.

3. Teſtimonium teſtis oculati probabilius eſt, quam auriti.

Fama enim creſcit eundo. In hujusmodi ergo rebus ſemper ad primum usque recenſionis auctorem eſt recurrendum.

4. Conſentiens teſtimonium multorum, qui eodem tempore ac loco vixerunt, quo

res aliqua contigerat, plus valet, quam teſtimonium unius, aut plurium, qui longe poſt, aut longius remoti vixerunt.

Plus itaque valet Xenophontis Hiſtoria Cyri, quam fabula Juſtini. Ille enim ipſe in Perſia, licet poſt Cyrum, vixit.

§. 265.

Theor. Narratio contradictoria non eſt probabilis.

Quoniam omne probabile debet eſſe poſſibile; §. 249. n. 2. ſequitur quod *narratio contradictoria non ſit probabilis.* Quod enim contradictorium eſt, poſſibile non eſt.

Ex. gr. Cuſtodes, qui ſepultum Chriſti corpus cuſtodire debebant, recenſent, quod diſcipuli Jeſu iſtum clam abſtuliſſent, cum ipſi cuſtodes dormiviſſent. Si quis dormit, ad illa, quæ fiunt, attendere non poteſt. Id ergo animadvertere cuſtodes non poterant, & nihilominus dicebant, ſe id animadvertiſſe. Contradictorium hoc eſt, adeoque impoſſibile; ergo ne quidem verum eſt, §. 222. per conſequens etiam non probabile.

§. 266.

§. 266.

Narratio Poëtica & Oratoria tam probabilis non eſt, quam Hiſtorica. Hiſtoricæ enim recenſiones naturæ rerum convenienter fiunt; Poëtæ autem & oratores veneres dicendi fictasque circumſtantias adhibent naturæ rerum ſæpius non convenientes. Paucæ igitur vel plane nullæ adſunt rationes, cur ipſis præbeamus fidem. *Theor. Narratio Poëtica non eſt probabilis.*

Ex. gr. Qui *Homeri* narrationem de *Ulyſſe*, *Claudiani* de *Honorio* legit, facile deprehendet, quam parum probabiles iſtæ ſint narrationes.

§. 267.

Propoſitio Politice Probabilis eſt, cujus Subjecto propter varia, quæ in illo deprehendere licet, phænomena, proprietas quædam vel inclinatio animi tribuitur. *Def. Probabilitas Politica.*

Ex. gr. *Cæſar*, cum in Hiſpania imaginem Alexandri adſpexiſſet, fleviſſe dicitur, & quidem eam ob cauſam, quod ætate ſua jam multum progreſſus, nondum tamen ea peregiſſet, quæ junior Alexander paucis geſſiſſet annis. Propter hanc

aliasque hujus generis notas Cæſari adſcribitur ea animi inclinatio, quam *Ambitionem* vocare ſolemus.

§. 268.

Coroll. Phænomena cum animi indole neceſſario connexa majorem gignunt probabilitatem, quam illa, quæ per accidens tantummodo ſunt connexa.

Ex. gr. Flebat Cæſar, cum reſectum caput inimici ſui Pompeji aſpiceret; ſi quis exinde concluderet, quod Pompejum dilexerit, illius ratiocinium probabile non eſſet. Aliæ enim cauſæ lachrymarum ſubeſſe potuerunt. Si in adoleſcente aliquo obſervamus, quod ſemper hilaritati, jocis, atque prodigalitati ſe det, tempusque nihil agendo conſumat; majori jure exinde poſſet concludi, illum eſſe voluptuoſum. Illa enim phænomena cum voluptate ſemper ſunt connexa. Hujusmodi inclinationes animi, quas ê phænomenis concludimus, adpellantur characteres, ad quos inveniendos neceſſe eſt, ut animi humani naturam penitus habeamus perſpectam. Pertinent autem hæc ad diſciplinam moralem.

§. 269.

Propoſitio practice Probabilis eſt, cujus Subjecto aliquid futuri propter phænomena in eo animadverſa adſcribitur. *Def. Probabilitas Practica.*

Ex. gr. Judæi, qui circumciſioni Johannis aderant, propter inſolentia phænomena ibi animadverſa concludebant, quod infans iſte aliquando præclarus & præſtans vir ſit evaſurus. Hæc concluſio practice probabilis erat. Ita Politici ex circumſtantiis loci, temporis, perſonarum &c. de exitu belli judicant. Ita Medici, ex phænomenis ægroti, de futura vel morte vel convaleſcentia judicant. Ita doctores & Magiſtri e capacitate, diligentia actionibusque diſcipuli, argumentum ducunt de futura ipſius eruditione.

§. 270.

Propoſitiones politice & practice probabiles nituntur argumento ab analogia deſumto. Ratio, cur in propoſitionibus practice & politice probabilibus prædicatum Subjecto tribuitur, hac continetur propoſitione: *Quod cum hoc Subjecto* *Theor. Probabilitas practica & politica nititur argumento ab analogia.*

 conne-

connexum erat, vel in hocce caſu contigerat; illud etiam cum ſimili ſubjecto connexum eſt, & in ſimili caſu pariter contingit. Hoc argumentum dicitur ab *Analogia* deſumtum. Ergo propoſitiones politice & practice probabiles nituntur argumento ab analogia deſumto. Vid. §. 218.

Hæc expectatio caſuum ſimilium hominibus adeo naturalis, &, quoniam meditatione non multum eget, adeo commoda eſt, ut plerorumque judicia atque actiones ab ea pendeant. Vid. Crouſaz Log. T. II. p. 116. ſeqq.

§. 271.

Def. Probabilitas Phyſica. *Propoſitio phyſice Probabilis* eſt, in qua cauſa effectuum naturalium ê pluribus quidem, ſed non plane ſufficientibus experientiis allegatur.

Ex. gr. Materia quædam fluida e Magnete egrediens in cauſa eſt, quare ferrum Magneti adhæreat.

§. 272.

Coroll. In propoſitionibus phyſice probabilibus

1. Phænomena, e quibus cauſa allegatur, debent eſſe certa.

Ex.

Ex. gr. Louvilius ſe expertum eſſe contendit, quod in Eclipſi ſolari fulgura extiterint in Luna. Alii autem hanc experientiam vocant in dubium.

2. Phænomeni cauſæ poſſibiles omnes ſunt indagandæ.

Ex. gr. Acceſſus & receſſus maris cauſa eſſe etiam poteſt motus Terræ circa Axem ſuum.

3. Cauſarum poſſibilium maxime probabilis illa eſt, quæ cum phænomenis optime convenit.

Ex. gr. De Acceſſu & receſſu maris nobis notum eſt:

1. Quod ſpatio viginti quinque horarum mare bis intumeſcat;
2. Luna naſcente vehementius, quam alio tempore, intumeſcat;
3. Iis in locis intumeſcat, qui ſupra ſe lunam habent, & in meridiano, oppoſito. Ex his experientiis Carteſius concludebat, quod preſſio Lunæ in terram cauſa ſit acceſſus & receſſus maris. Id autem cum phænomenis non convenit. Ita enim iis in locis, qui ſupra ſe lunam habent, receſſus maris eſſe deberet, cum tamen ac-

ceſſus in iis animadvertatur. Keplerus atque Neuton cauſam acceſſus & receſſus maris, in vi attractrice, quæ lunæ atque ſoli ineſt, deprehendi ajunt. Et id cum experientiis melius convenit. Nam in novilunio luna atque ſol eodem in loco comparent; & ibi maximus animadvertitur maris acceſſus.

§. 273.

Def. Probabilitas Hermenevtica. *Propoſitio hermenevtice Probabilis* eſt, in qua verbis alterius cujusdam, (quæ tanquam ſubjectum nunc conſiderantur,) talis poteſtas, (quæ prædicati vicem ſubit,) tribuitur, quæ propter multas cauſas pro ſenſu auctoris haberi poteſt.

Ex. gr. Verba *Catonis* apud Cic. de div. II. 24. init. *Cato mirari ſe ajebat, quod non rideret baruſpex, haruſpicem cum vidiſſet;* ſi hunc habeant ſenſum; Cato omnes ceremonias Romani Cultus divini deridiculo habuit; propoſitio probabilis non eſt; verum hæc: Cato Ceremonias Haruſpicum deridiculo habuit; eſt propoſitio probabilis, Augures enim, qualis Cato erat, invidiâ ſemper proſequebantur Haruſpices.

§. 274.

Poteſtas, quæ vocibus ſcriptoris alicujus tribuitur, cum ſenſu ſcriptoris conveniat. Quare *Coroll.*

1. Interpretatio auctoris ex lingua originali eruatur.

Ex. gr. λογικὴ λατρεία. Rom. XII. 1. non ſignificat cultum rationalem; ſed ex indole linguæ græcæ idem eſt, ac λατρεία τοῦ λόγου, cultus ad verbum Dei accommodatus.

2. Interpretatio congruat cum auctoris notionibus atque principiis domeſticis; i. e. cum illius opinionibus, affectibus, circumſtantiis. vid. ſupra §. 138. ideam Dei quam Seneca habet.
3. Interpretatio cum antecedentibus & conſequentibus, item cum locis parallelis conveniat.
4. Inter plures interpretationes poſſibiles benignor eſt præferenda. Naturalis id poſtulat æquitas. Quidquid tibi vis fieri, alteri etiam feceris.

Partis Secundæ

Caput Secundum.

De
Invenienda Veritate; ſeu De Meditatione legitime inſtituenda.

§. 275.

Def. Meditatio.

Hactenus de Veritate, Certitudine atque Probabilitate actum eſt. Sequitur jam, ut agamus de modo inſtituendi atque dirigendi cogitationes noſtras, legibus cogitandi ab ipſo Deo intellectui noſtro conceſſis atque præſcriptis conformiter, ut veritatem diſtincte cognoſcamus, atque adeo de ea certi fiamus. *Meditatio* ergo eſt applicatio cogitationum noſtrarum, ad cognoſcendam veritatem, legibus cogitandi, ab ipſo Deo intellectui noſtro inditis, convenienter.

§. 276.

§. 276.

Feliciter ergo meditaturus. *Theor.*

1. *Debet eſſe attentus.* Claræ enim atque diſtinctæ ideæ, adeoque etiam cognitio diſtincta ope attentionis acquiritur. §. 75. 83. Juniores litterarum ſtudioſi, ab uno objecto in alterum tranſilire ſoliti hanc ipſam ob cauſam tam difficulter ad meditationem legitime inſtituendam adiguntur, quia attentionis tam ſunt impatientes.
2. *A præjudiciis liber.* Præjudicia enim ſunt falſæ propoſitiones, e quibus falſa proveniunt ratiocinia. §. 230. Impedimento itaque ſunt, quo minus cogitationes ita dirigi queant, ut veritas cognoſcatur.
3. *De principiis certis ſollicitus.* Nam absque principiis certis ad cognitionem veritatis nemo pervenire poteſt.
4. *Experientias, Definitiones & propoſitiones indemonſtrabiles quærat.* Hæ enim ſunt principia certa. §. 247. 248.
5. *Ope demonſtrationis e principiis certis Theoremata & Problemata eruat.* Nam ope demonſtrationis acquiritur certitudo. §. 279.

§. 277.

§. 277.

Probl. Ope Meditationis invenire definitiones.

Quæritur itaque, quomodo cogitationes inſtituendæ & dirigendæ ſunt, ut definitiones inveniri queant? Hoc Problema jam ſupra §. 157. & 245. reſolutum eſt. Id nunc addimus, quod ad meditationem legitime inſtituendam requiratur, ut & notarum in aliqua definitione deprehenſarum novas definitiones quæramus.

Ex. gr. Affectus eſt vehementior gradus appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ. Quid eſt appetitus ſenſitivus? Niſus erga rem, quæ tanquam bona, ſed confuſe nobis eſt repræſentata. Quid eſt averſatio ſenſitiva? Niſus contra rem aliquam, quæ tanquam mala, ſed confuſe nobis eſt repræſentata. Longius adhuc poſſumus procedere, quærendo: Quid eſt bonum? Quid malum? Quid repræſentatio confuſa?

§. 278.

Probl. Ope meditationis conficere axiomata.

Quomodo igitur ex hujusmodi definitionibus conficiuntur Axiomata? Reſp.

1. *Abji-*

1. *Abjiciendo partem aliquam definitionis.*
   1. Omnes affectus ſunt aut appetitus aut averſationes.
   2. Affectus ſunt ſenſitivi, ſ. pendent a ſenſibus.
   3. Affectus oriuntur ex repræſentatione confuſa.
2. *Convertendo;* i. e. *prædicatum in locum Subjecti ponendo.*
   1. Omnes appetitus ſenſitivi ſunt affectus.
   2. Ubi appetitus ſenſitivi regnant, ibi regnant affectus.
3. *Propoſitiones affirmativas mutando in negativas æquipollentes.*
   1. Quidquid non eſt appetitus ſenſitivus aut averſatio ſenſitiva, non eſt affectus.
   2. Qui confuſa repræſentatione caret, ille caret affectibus.

§. 279.

Poſtulata eodem modo conficiuntur, & præcipue e definitionibus realibus facili negotio derivantur. *Probl. Ope meditationis conficere poſtulata.*

Ex. gr. Ira eſt vehemens averſatio, quæ oritur ex injuria alterius, quam nobis illum intuliſſe credimus,

mus. Ex hac definitione ſequentia confici poſſunt poſtulata:

1. Qui alterum iratum reddit, ille vehemens tædium in illo excitat.
2. Qui ab altero injuriam ſibi illatam eſſe credit, iram in ſe excitare poteſt.
3. Quem non vis iratum, illi non inferas injuriam.

§. 280.

Probl. Ope meditationis conficere theoremata & problemata.

Theoremata & Problemata ſunt propoſitiones demonſtrabiles. Demonſtratio e principiis certis, nimirum ê definitionibus deducenda eſt. Quoniam ergo in omni propoſitione duæ ideæ vel conjunguntur vel disjunguntur, ad conficienda Theoremata atque Problemata minimum duæ definitiones aliæque propoſitiones indemonſtrabiles aſſumi debent.

Ita ex. gr. ab experientia hac: *Bruta appetitu ſenſitivo aguntur;* & e definitione *Iræ* concludere poſſumus: Qui appetitu ſenſitivo aguntur, illi brutis hac parte ſunt ſimiles. Homines irati appetitu ſenſitivo aguntur. Ergo homines irati brutis hac parte ſunt ſimiles. Id eſſet Theorema. Pari modo e definitione

definitione irati & manſuefactionis reſolvi Problema poſſet: Quo modo iratus ſit manſuefaciendus. Manſuefacere eſt aliquem eo adigere, ut iram, quam concepit, dimittat. Oſtende igitur alicui, quod ab altero injuria ipſi illata non ſit, eumque de injuria non illata convince. Ita dimittet iram, adeoque manſuefiet.

§. 281.

Probl. Ope meditationis facere Corollaria.

Quoniam *Corollaria*, vi §. 185. immediate fluunt & patent ê theoremate aut aliis propoſitionibus, ita ut demonſtratione ulteriore non egeant: tantummodo neceſſe eſt, ut ad immediatas attendam conſequentias, & ita conficiuntur *Corollaria.*

Ex. gr. Ex antecedente Problemate immediate fluit corollarium ſequens: Iratus igitur eo usque adigendus eſt, ut agnoſcat, quod in repræſentatione ſua erraverit.

§. 282.

Probl. Invenire Scholia.

His ita poſitis, ſi quis præterea aliarum quoque ſcientiarum cognitione imbutus, vel in Hiſtoria antiquorum æque ac recentiorum temporum

temporum bene verſatus, vel ê lectione librorum inſtructus fuerit: illi imaginatio absque difficultate nunc hypotheſes aliorum, nunc exempla, nunc ſimilitudines, nunc alia bene multa ſuggeret, quibus Theoremata, problemata aliasque legitima meditatione inventas propoſitiones illuſtrare poterit. Hæcce talia ad illuſtrationem quomodocunque facientia appellantur *Scholia*. §. 186. Intelligitur autem etiam, quod, qui in aliis ſcientiis multum verſatus eſt, ei inter meditandum imaginatio hujusmodi ſcholia ſponte ſuggerat. Qui autem ab aliis ſcientiis vacuus eſt, nec in lectione aliorum librorum multus fuit, eum alios de eodem argumento agentes evolvere oportet libros, ut ex iis defectum hunc ſupplere queat. Id tantummodo caveat, ne lectionem aliorum librorum propriæ meditationi præmittat; ita enim peregrinis ideis præoccuparetur animus, id quod propriæ inſtitutioni

ni atque directioni cogitationum, i. e. Meditationi foret impedimento.

§. 283.

Regulas Meditationi hactenus præſcriptas ipſo actu in exemplo quodam applicabimus, ut argumentum hocce, quod quaſi Centrum totius Logicæ eſt, eo luculentius atque diſtinctius tradatur. Pone, Meditationem eſſe inſtituendam de Conſcientia mala, ita quidem, ut nullos alios conſulamus libros. Requiritur ergo: *Exemplum Meditationis.*

Nr. 1. Definitio malæ conſcientiæ juxta §. 151. & 245. condatur. Aſſumendi ergo ſunt caſus quidam individuales, partim ex experientia, partim ex Hiſtoria de Catilina, Jugurtha apud Salluſt. Bell. Cat. c. 15. Bello Jug. c. 72. Quodſi proprias & eſſentiales malæ conſcientiæ notas indagaveris, ſequentes facile reperies: Conſcientia mala eſt judicium certum de propriis actionibus noſtris, quod ſint malæ.

Nr. 2. In hac definitione tanquam notæ ponuntur.

1. Judicium.

2. Judicium certum.
3. Actiones malæ.

Harum notarum, juxta §. 277. novas jam inquire definitiones. Judicium eſt illa operatio intellectus, qua duæ ideæ aut conjunguntur aut disjunguntur. §. 83. Judicium certum ſ. propoſitio certa eſt, quando ex ipſa natura & eſſentia Subjecti plene perſpicio, quod prædicatum cum illo vel conjungendum ſit, vel ab eo disjungendum. §. 231. Actiones malæ ſunt, quæ cum lege divina non conveniunt.

Lemma. Nr. 3. Jam ſi non plane hoſpes fueris in diſciplina Morali, imaginatio ex occaſione ultimæ definitionis mox tibi in mentem reproducet theorema ſequens: Quidquid cum lege divina non convenit, illud ſtatum animæ atque corporis reddit infelicem.

Nr. 4. Notæ, quæ definitionem Judicii ingrediuntur, Nr. 2. pariter definiri poſſunt. Operatio intellectus eſt mutatio in anima contingens, cujus ratio continetur in intellectu. §. 57.

Axiomata. Nr. 5. Ex his definitionibus, juxta §. 22. eruantur Axiomata. E definitione malæ conſcientiæ Nr. 1. ſequentia fluunt Axiomata:

1. Mala

1. Mala conſcientia ſequitur actiones malas.
2. Mala conſcientia indicat, quod malum aliquod ſit perpetratum. Eſt ergo teſtis adverſus hominem.
3. Mala conſcientia ergo damnat hominem; adeoque judicis loco habenda eſt.
4. Qui malas perpetrat actiones, malam facit conſcientiam.
5. Qui malas actiones non perpetrat, conſcientiam malam non habet.
6. Qui actiones ſuas malas eſſe putat, malam habet conſcientiam.
7. Qui conſcientiam malam non habet, ille actiones ſuas malas eſſe non putat.

Nr. 6. Ex eadem definitione malæ conſcientiæ ſequentia erui poſſunt poſtulata, juxta §. 183. *Poſtulata.*

1. Qui conſcientiam malam habere non vult, ille actiones malas ne perpetret.
2. Qui in altero malam excitare conſcientiam cupit, illum eo adigere debet, ut actiones ſuas cognoſcat eſſe malas.

Nr. 7. E definitione malæ conſcientiæ poſſum, juxta §. 107. abſtrahendo etiam definitionem conſcientiæ in *Def.*

genere condere: Conſcientia eſt judicium de actionibus, utrum bonæ ſint an malæ.

Theor. Nr. 8. E collatione definitionum conſcientiæ & judicii, juxta §. 150. ſequens eruitur Theorema: Conſcientia eſt operatio intellectus. Demonſtr. Conſcientia eſt judicium. Nr. 7. Judicium autem eſt operatio intellectus. Nr. 2. Ergo conſcientia eſt operatio intellectus.

Coroll. Nr. 9. Per ideam intellectus imaginatio me ducit ad experientiam: Omnes homines habent intellectum, eoque recte uti poſſunt. Ex hac experientia & antecedente theoremate ſequens ſponte fluit corollarium:

1. Omnes homines, qui intellectu ſuo recte utuntur, conſcientiam habere debent.
2. Qui conſcientiam non habet, intellectu ſuo non recte utitur.

Theor. Nr. 10. Ex occaſione intellectus imaginatio aliam propoſitionem in mentem reproducit: Intellectus eſt â Deo. Ex hac propoſitione & antecedente theoremate atque definitionibus antegreſſis novum eruitur theorema: Conſcientia eſt a Deo. Demonſtr. Conſcientia eſt operatio intellectus. Nr. 8. ratio illius eſt in intellectu. Nr. 4. Intellectus autem eſt a Deo.

Deo. Nr. 10. Ergo & conſcientia eſt a Deo.

Nr. 11. Si unquam legi verba, quæ Chauvinus de relig. natur. part. I. c. 14. p. 158. ſcripſit: Conſcientia eſt Deus menti noſtræ inſidens, cum eaque intime differens; imaginatio ſtatim hac occaſione in mentem reproducet illa. Si enim ſenſum aliquem habeant iſta verba, vox: Deus, ſenſu improprio ſumenda, ut adeo intelligatur cauſa efficiens pro effectu. *Schol.*

Nr. 12. Ex hocce theoremate Nr. 10. ſequentia corollaria prono fluunt alveo: *Coroll.*

1. Si Deus non eſſet, conſcientia non eſſet.
2. Quoniam homo habet conſcientiam, Deus exiſtat neceſſe eſt.
3. Etiam mala conſcientia eſt â Deo.

Nr. 13. Si quis legit, quod multi Theologi in ea ſint ſententia, quod ille malus ſpiritus a Domino, qui Saulem reddiderat inquietum, 1. Sam. XVI. 14. mala fuerit conſcientia: ei hac occaſione id in mentem veniet, ac gaudebit, quod ſua cogitata cum cogitatis aliorum eruditorum optime conveniant. *Schol.*

Axiom. Nr. 14. E reliquis definitionibus Nr. 2. de judicio certo, malisque actionibus ſequentia fluunt Axiomata:

1. Qui malam habet conſcientiam, ille ex actionum ſuarum qualitate diſtincte perſpicit, quod malæ ſint; & vice verſa.
2. Qui actionum ſuarum qualitatem diſtincte non perſpicit, conſcientiam malam non habet. Poteſt eſſe dubia conſcientia.
3. Qui actiones ſuas malas eſſe judicat, ille cognoſcit, quod fiant contra legem Dei.
4. Quo magis actiones legi divinæ contrariantur, eo pejores ſunt; & vice verſa.

Poſtul. Nr. 15. Ita etiam ê definitionibus Nr. 2. ſequentia fluunt Poſtulata:

1. Legem divinam bene cognoſcant homines neceſſe eſt, quando conſcientiam recte formare volunt.
2. Qui nihil mali patrare cupit, eas tantum actiones perpetrare debet, quas legi divinæ conformes eſſe novit.

Coroll. Nr. 16. E theoremate, Nr. 3. Omnes actiones contra legem divinam perpetratæ ſtatum meum animæ atque corporis reddunt infelicem, ſequentia fluunt corollaria:

1. Qui

1. Qui actiones ſuas ad legem divinam non inſtituit, ille & quoad animam & quoad corpus infelicem ſe reddit.
2. Qui & quoad animam & quoad corpus infelix eſſe non vult, ille nihil contra legem divinam patrare debet.
3. Qui & quoad animam & quoad corpus felix eſſe cupit, omnes actiones ſuas ad legem divinam componere debet.

Nr. 17. Ex his reſolvi Problema poſſet: Quomodo caveri queat, ne malam acquiramus conſcientiam. Reſol. Omnes actiones tuas ad legem divinam componas; ita nihil mali â te patrabitur. Nr. 15. poſt. 2. adeoque etiam conſcientiam malam non acquires. per Nr. 5. Ax. 4. *Probl.*

Nr. 18. Ex his propoſitionibus, quando cum ſuperioribus conferuntur, ſequens fluit theorema: Qui malam habet conſcientiam, ille perſpicit, quod & quoad animam & quoad corpus infelicem ſe reddat. Demonſtr. Qui malam habet conſcientiam, ille diſtincte perſpicit, quod actiones ſuæ ſint malæ. Nr. 14. 1. Cognoſcit ergo, quod contra legem divinam fiant. Nr. 14. 3. adeoque quod & *Theor.*

quoad animam, & quoad corpus infelicem ſe reddat. Nr. 16. 1.

Coroll. Nr. 19. Dolor oritur ex ſenſatione infelicitatis. Hanc definitionem realem ſi confero cum theoremate antecedente, ſequentia corollaria exinde elicio:

1. Qui malam habet conſcientiam, habet dolorem.
2. Quo diſtinctius quis infelicitatem ſuam ejusque magnitudinem perſpicit, eo majorem habet dolorem.

Theor. Nr. 20. Ex his facile elicitur novum Theorema: Ex actionibus malis oritur dolor. Actiones enim malæ gignunt conſcientiam malam. Nr. 5. Ax. 3. Conſcientia mala gignit dolorem. Nr. 19. 1. Ergo ex actionibus malis oritur dolor.

Coroll. Nr. 21. Ex his fluunt corollaria:

1. Qui dolore carere vult, caveat ab actionibus malis.
2. Quo pejor eſt actio, eo major eſt dolor.

Theor. Nr. 22. Quoniam triſtitia eſt major gradus doloris; poſſum hanc definitionem atque antecedentes propoſitiones inter ſe conferre, novumque elicere Theorema: Conſcientia mala affert triſtitiam. De monſtr. Malas actiones ſequitur mala conſcientia;

Nr. 5.

Nr. 5. Ax. 3. Quo pejor actio, eo major eſt dolor. Nr. 21. 2. major doloris gradus eſt triſtitia; Ergo conſcientia mala affert triſtitiam.

Nr. 23. Quis eſt jam, cui non ſponte in mentem illabantur ſequentia corollaria: *Coroll.*

1. Qui triſtitia carere vult, caveat ſibi a conſcientia mala.
2. Qui vere læto hilarique eſt animo, conſcientiam malam non habet.
3. Qui conſcientiam malam non habet, triſtis eſſe non debet.

Nr. 24. Hac occaſione facile in memoriam revocabuntur ſequentia: *Schol.*

Hilaris animus quotidiana eſt voluptas. Prov. XV. 15.

Conſcia mens recti famæ mendacia ridet. Et

Hic murus aheneus eſto:

Nil conſcire ſibi nulla palleſcere culpa.

Nr. 25. Magnus dolor ê perpetratione malarum actionum ortus, appellatur Morſus conſcientiæ. Ex hac definitione fluunt Axiomata: *Def.*

1. Actiones malæ afferunt morſus conſcientiæ.
2. Morſus conſcientiæ afferunt triſtitiam. Nr. 22.

Schol. Nr. 26. Quis eſt, cui exempla Catilinæ, Jugurthæ, ſupra allegata non in memoriam reducantur? Accipe lector! deſcriptionem Tiberii e Tacito. Hicce tanti imperii imperator, deſperabundus plane, ſequentes Romam miſit litteras: Quid ſcribam vobis, P. C. aut quomodo ſcribam, aut quid omnino non ſcribam hoc tempore, dii me deæque pejus perdant, quam quotidie me perire ſentio, ſi ſcio. (Attende quæſo! lector! ad ea, quæ Tacitus utut ethnicus adjungit.) Adeo facinora atque flagitia ſua ipſi quoque in ſupplicium verterant. Neque fruſtra præſtantiſſimus ſapientiæ firmare ſolitus eſt, ſi recludantur tyrannorum mentes, poſſe aſpici laniatus & ictus: quando ut corpora verberibus, ita ſevitia, libidine, malis conſultis, animus dilaceretur. Quippe Tiberium non fortuna, non ſolitudines protegebant, quin tormenta pectoris ſuasque ipſe pœnas fateretur. Tac. Annal. l. VI. 6.

Theor. Nr. 27. Qui e diſciplina Morali didicit, quod iſtud malum, cujus ratio, cur nobis obtingat, in noſtris actionibus deprehendatur, pœna naturalis appelletur: ille facili negotio novum inveniet theorema: Morſus

conſcientiæ

conſcientiæ ſunt pœnæ naturales malarum noſtrarum actionum. Demonſtr. Nam ratio Morſuum conſcientiæ in actionibus malis deprehenditur. Nr. 25. Morſus autem conſcientiæ ſunt malum quoddam, quia ſunt dolor. Nr. 19. Ergo Morſus conſcientiæ ſunt pœnæ naturales malarum noſtrarum actionum.

Nr. 28. Jam meditatio eo eſſet dirigenda, ut etiam adſtrueretur, qua ratione homines ab acceptis conſcientiæ morſibus ſeſe liberare queant. Quoniam autem morſus conſcientiæ ſunt pœnæ naturales malarum actionum noſtrarum, ſequitur quod ille, qui unquam malas patravit actiones, neceſſario morſus conſcientiæ pati debeat, ſimul ac actiones ſuas malas eſſe perſpicit. Quoniam ergo facere non poteſt, ut actiones malæ, jam jam perpetratæ, non ſint malæ, facere etiam non poteſt, ut morſus conſcientiæ ceſſent. Quamdiu quidem de malis ſuis actionibus non cogitat, tamdiu fieri poteſt, ut morſus conſcientiæ non ſentiat. Verum iſtos plane amovere ut valeat, ratio ſibi relicta nec conſilium novit nec auxilium. Facile eſſet, hanc medidationem continuare, & ab Experientiis, quod omnes homines malas patrent *Probl.*

patrent actiones, adeoque morſus conſcientiæ habeant, & in continua triſtitia eſſe debeant, conferendo ea, quæ de amore Dei erga res creatas omnes, præcipue homines, nobis cognita ſunt, ſumma cum probabilitate concludere, quod neceſſario divina revelatio in mundo eſſe debeat, quæ nobis monſtret, quo modo nos â conſcientiæ morſibus liberare debeamus, quoniam ratio ſibi ſoli relicta nobis id monſtrare non poteſt.

§. 284.

Probl. Invenire ope meditationis diſpoſitionem.

Jam ſi hujusmodi veritates ſatis multæ ope meditationis ſunt inventæ, ac ſi inventæ iſtæ veritates etiam aliis proponantur: neceſſe eſt, ut cogitationes noſtras eo dirigamus, ut inveniatur *ordo*, ſecundum quem inventæ veritates proponi queant. Id appellatur *Diſpoſitio.* Diſtinguimus materiam, quæ proponatur, & modum proponendi. Diſpoſitio neceſſario partim pro natura *materiæ*, partim pro *modo proponendi* debet inſtitui. Si propoſitio noſtra ſit aliqua Philoſophis conſueta tractatio, quæ *Diſſertatio* dici ſolet, adhiberi poteſt

Methodus

Methodus Synthetica. §. 251. Si vero ſit aliqua oratoribus conſueta tractatio, *Sermo* aut *Colloquium* : apta fieri debet *diviſio*, juxta §. 161.

Ex. gr. Si perorandum eſſet de conſcientia mala, poſſem agere
1. De cauſis malæ conſcientiæ;
2. De effectibus & conſequentiis malæ conſcientiæ.

Præter hæc ſcopus ſermonis, qui in perſuaſione ponitur, poſtulat,
1. Ut omnia diſtincte definiantur;
2. Solide demonſtrentur;
3. Legitime ac convenienter illuſtrentur.

Hæc qui obſervabit, ille non ſolum bonam Diſpoſitionem, ſed & aptam Elaborationem conficiet, ſi modo linguam iſtam, qua utitur, bene calleat.

§. 285.

Probl. Propoſitionem ope meditationis explicare, probare, illuſtrare, applicare.

Tironibus in ſcholis interdum etiam integræ propoſitiones ſuppeditari ſolent, ut *Chrias* & alias hujus generis elaborationes oratorias conficiant. Jam vero impoſſibile eſt absque apta & legitima meditatione aptum quid, hominumque

que auribus dignum elaborare. Quæritur ergo, qua ratione inſtituenda ſit meditatio de propoſitione aliqua ſuppeditata?

Ex. gr. Prætermiſſa fruſtra revocantur. Reſolutio:

1. Quære definitiones Subjecti & Prædicati.

Quid ſunt prætermiſſa? Prætermiſſa dicuntur omnes illæ occaſiones, quas habuimus, inſerviendi noſtris uſibus, ſed quas negleximus. Quid eſt revocare? Optare, ut aliquid, quod elapſum eſt, redeat.

2. Inquire in caſus ſingulares, ſub generalibus Definitionis notis contentos.

Id adpellant μεϱισμον ſ. diſtributionem. Quæ ſunt iſtæ utiles & aptæ occaſiones in bello, in pace; pro litterarum ſtudioſis, opificibus, agricolis &c. Qua ratione iſtæ a quovis hominum genere negliguntur?

3. Quære in ipſis Subjecti notis rationem, propter quam prædicatum ipſi adſcribatur.

Hac ratione ſolidam invenies demonſtrationem.

4. Animum huc atque illuc verſa, ut in

in mentem revocentur ſimilia, & quævis alia ad propoſitionem tuam vel explicandam, vel illuſtrandam facientia.[1]

5. E propoſitione explicata & demonſtrata varias elice conſequentias.

Tali modo propoſitionem iſtam ad præſentes res, perſonas, circumſtantias facile poteris applicare; & hoc modo Logica verum fit adminiculum ad conſequendam ſolidam Eloquentiam.

Secundæ Partis
Caput Tertium.

De Judicanda & diſcenda Veritate.

§. 286.

Def. Diſcere & dijudicare quid ſit?

IMpoſſibile eſt, ut unus idemque homo propria experientia omnes res noſcat. Nec tempus, nec vires ipſius aliæque circumſtantiæ ſuffi-

ſufficiunt, ad id, ut omnes res propria meditatione explicare, omnesque veritates propria meditatione demonſtrare queat. Curare igitur debet, ut & iſtas res, quas alii ſunt experti, ac veritates ab aliis explicatas & demonſtratas diſtincte ſibi repræſentare valeat. Id vocamus *Diſcere*; quemadmodum id vocamus *Dijudicare*, quando experientias aliorum, definitiones ab aliis datas, eorumque demonſtrationes cum regulis Experientiarum, definitionum & demonſtrationum contendimus, atque examinamus, utrum ad earum normam confectæ ſint, nec ne?

M. *Joh. Mart. Chladenius* hanc partem Logicæ peculiari tractatione edidit, quam inſcripſit: Einleitung zur richtigen Auslegung vernünftiger Reden und Schriften.

§. 287.

Def. Libri. Scripta, quæ ea continent, quæ alii ſunt aut experti, aut explicarunt aut demonſtrarunt, adpellantur

lantur *Libri.* Si continent Experientias factorum, dicuntur *Libri Hiſtorici.* Si generales continent veritates de Eſſentia, principio, qualitatibusque rerum, adpellantur *Libri Dogmatici.*

§. 288.

Alterius libros dijudicaturus easdem cum terminis jungere debet ideas, quas Auctor cum iis junxit. Theor. Qui aliorum libros dijudicare cupit; ille experientias, explicationes, definitiones & demonſtrationes eorum, cum rebus ipſis contendere cupit. §.286. Ante omnia igitur iſta debet intelligere. Intelligere autem iſta non poteſt, niſi easdem cum terminis eorum jungat ideas, quas ipſi cum illis junxerunt. §.118. Ergo alterius libros dijudicaturus easdem cum terminis jungat ideas, quas Auctor cum iis junxit.

Præcipua hæc eſt regula, in omni lectione Auctorum Claſſicorum obſervanda, & continuo diſcipulis inculcanda, ne falſum & alienum Auctoribus affingant ſenſum, ſed

mentem ipſorum acu quaſi tangant. Haud injuſtæ ergo multorum Juriſconſultorum querelæ eſſe videntur, quando in ſcholis tam frequenter Orationes Ciceronis explicari queruntur, cum pauciſſimi inter Doctores ſcholarum, & multo pauciores inter diſcipulos, reperiantur, qui jurisprudentiam Romanam, & modum, quo ſuas tractare ſolebant cauſas, cognoverint, ſine quibus adminiculis autem Ciceronis mentem reperire non detur.

§. 289.

Coroll. Alterius libros ergo dijudicaturus ejusdem linguam calleat oportet.

Dolenda igitur Exegetarum atque Paſtorum Eccleſiis præfectorum ſors eſt, qui linguas ſanctas, Græcam & Ebræam, non ſatis cognitas ſibi reddiderunt. Capiant ſibi, quæ Danzius in præfat. ad Interpretem ſuum, pro gravitate rei, ſcripſit.

§. 290.

Requiſita librorum Hiſtoricorum. Libri Hiſtorici continent Experientias factorum. Requiritur ergo in illis 1. *Ve-*

1. *Veritas.* Aliàs enim cum ipſis rebus non conveniunt. §. 227. Si autem cum rebus ipſis non conveniunt, non ſunt Hiſtoriæ, ſed narrationes, uti dicuntur, Romanenſes.
2. *Ordo;* ut ſcilicet ea, quæ facta ſunt, juſto ordine temporis aliarumque circumſtantiarum recenſeant. Alias enim etiam cum rebus ipſis non conveniunt, adeoque hoc modo veri non ſunt.
3. *Completa Narratio;* ut ſcilicet ê ſimultaneis & ſucceſſivis nihil omittat; quantum quidem ſcopus præfixus poſtulat; ut cauſas quoque allegent, cur & quomodo poſſibile fuerit, ut res ita contigerint, & non aliter. Ita narratio aliqua ſortitur nomen Hiſtoriæ Pragmaticæ.

Voltaire ſcripſit vitam *Caroli XII.* Si iſtam narrationem voluit eſſe completam, neceſſe fuit, ut parentes, nativitatem, educationem, vitam, res geſtas, mortem recenſuerit, cauſasque indicaverit, quî fieri potuerit, ut Carolus XII. tantas res gerere potuerit, tandemque violenta morte decedere debuerit. Hæc omnia ſi præſtitit, Hiſtoria illius eſt completa. Si tempus reliquasque circumſtanti-

as ita obſervavit, ut omnia ita recenſuerit, uti revera acciderunt, ſibique invicem ſucceſſerunt, in ipſius Hiſtoria debitus obtinet Ordo. Denique ſi recenſio ipſius cum rebus ipſis conſentit, Hiſtoria ipſius etiam eſt vera.

§. 291.

Schol. Completa Hiſtoriæ narratio eſt omnino magnæ utilitatis. Res maximæ ſæpius e parvis vilibusque egreſſæ ſunt initiis. *Livius* L. VI. c. 34. recenſet, quod ambitio unius cujusdam mulieris patriciæ, quæ cum viro plebejo nupta fuerat Romæ, prima fuerit occaſio *Conſulatum* transferendi in plebejos. Auctor *Antimachiavelli* narrat, quod par chirothecarum cauſa fuerit pacis inter Anglos atque Gallos factæ Anno 1712. Innumerabilia hujus generis exempla inveniuntur in Hiſtoria.

§. 292.

Diviſio Hiſtoriæ. Libri Hiſtorici continent Experientias factorum. §. 286. Hæc acciderunt

1. *Aut*

1. *Aut in ipſa natura;*
2. *Aut inter Artifices;*
3. *Aut in Eccleſia;*
4. *Aut in regno politico;*
5. *Aut inter eruditos;*
6. *Aut in vita privata hujus vel illius hominis.*

Hinc quoque ſextuplex datur diviſio Librorum Hiſtoricorum.

§. 293.

Def. Hiſtoria Naturalis.

Hiſtoria Naturalis eſt narratio phænomenorum notatu digniſſimorum, quæ in rebus creatis earumque natura animadvertuntur.

Ita Plinius nobis Hiſtoriam Naturalem reliquit, magno ſane volumine; in quod congeſſit omnia, quæ notatu digna & in cœlo & in terra, legerat atque audiverat.

Hiſtoria Naturalis ergo

1. Sufficientes rerum naturalium notas recenſeto, ut diſtinctam & completam de illis ideam acquirere liceat.
2. Operationes atque effectus earum, quoad qualitatem æque ac magnitudinem adcurate annotato.

Ex. gr. In Magnete, non ſolum quod ferrum attrahat, ſed & quantus

ipſe ſit, quantumque ferri pondus ipſi adhærens. Pertinent huc omnes libri, in quibus Experimenta recenſentur. Facit Hiſtoria Naturalis, ut leves & vagabundi hominum animi fiant attentiores ad opera Dei in regno naturæ.

§. 294.

Def. Hiſtoriæ Artificialis. *Hiſtoria Artificialis* eſt narratio de origine, incremento atque decremento artium.

Ex. gr. Artis pingendi, Statuariæ, conficiendi pulverem pyrium, organa pnevmatica &c.

Hiſtoria Artificialis ergo contineat

1. Perſonas, quæ hanc vel illam artem invenerunt, aut inventam auxerunt.
2. Occaſiones, quibus factum eſt, ut artes vel inventæ fuerint, vel creverint, vel decreverint.

Ex. gr. Hiſtoria Typographiæ, quoad ejus originem atque incrementa.

Hiſtoria Artificialis monſtrat hominibus

1. Quam parum gloriæ ex inventione rerum ſibi vindicare queat intellectus humanus; cum plurimæ maximæque res fortuito caſu, fuerint inventæ; i. e. per Dei providen-

videntiam, varia inter ſeſe conjungentem, inchoatæ, ordinatæ, perfectæ. Quam ob rem *Rollin*, in libro ſuo, quem inſcripſit: *Maniere d'enſeigner les belles lettres*, T. IV. p. 291. monet, ut in docenda Antiquitate juvenibus quoque oſtendatur, quas artes quæque inſtrumenta ignoraverint tempora antiquiora.

2. Utilis etiam eſt Hiſtoria Artificialis ad id, ut omnes occaſiones bene obſervare, iisque deinde recte uti diſcamus, partim ut Artibus caveamus a decrementis, partim ut majora ipſis addamus incrementa. Dantur interdum homines moroſi ac pertinaces, qui artem ſuam ſibi non ſuperſtitem nec cum aliis communicatam, verum una ſecum ſepultam malunt.

§. 295.

Def. Hiſtoria Eccleſiaſtica.

Hiſtoria Eccleſiaſtica eſt narratio eorum, quæ contigerunt in Eccleſia Dei. Cum vero Eccleſia ſit cœtus hominum à Deo vocatorum ad vitam æternam, atque conſiſtat e doctoribus & auditoribus: neceſſe eſt ut Hiſtoria Eccleſiaſtica contineat:

1. Vitas illorum doctorum, quibus tanquam inſtrumentis in Eccleſia plantanda atque conſervanda uſus eſt Deus.
2. Modos & adminicula, quibus & Deus & ipſius ſervi in Eccleſia uſi ſunt ad homines convertendos & in fide confirmandos. Huc etiam referendus eſt nexus, qui inter imperia atque regna politica obtinet, ſtatus rei litterariæ &c. Magnam ſæpius in imperiis atque regnis mutationem contigiſſe animadvertimus, tantummodo ut regno Chriſti eo amplior concedi potuerit locus.
3. Impedimenta atque difficultates, quibus Satanas & ejus ſervi incrementa regni Chriſti impedire ſtuduerunt. Contineat etiam modos atque adminicula, quibus difficultates iſtas ſuperare licuit.

Obſervamus accidiſſe ſæpius, ut, quando Satanas Schismate vel Hæreſi aliqua Eccleſiam turbare conatus eſt, Deus externas perſecutiones cœtui ſuo immiſerit, ut pii homines eo arctius in amore & concordia unirentur. Talis narratio.

1. Non ſolum vias Dei in gubernanda Eccleſia manifeſtas reddit: ſed & 2. Do-

2. Doctoribus Eccleſiæ adminicula ſuppeditat, quibus ſcopus Eccleſiæ Chriſti obtineri, id eſt, hominum æterna ſalus promoveri, diabolique artificia atque fraudes irritæ reddi queunt. Et id eſt vera *Prudentia Theologica.*

§. 296.

Def. Hiſtoria Civilis.

Hiſtoria Politica ſ. Civilis eſt narratio rerum notatu digniſſimarum, quæ contigerunt in regnis & imperiis politicis. Quoniam verô *Regnum* vel *Imperium* eſt ſocietas inter imperantes & ſubditos, ad promovendam ſalutem publicam: neceſſe eſt, ut Hiſtoria Politica contineat:

1. *Exactam narrationem* vitarum, rerum geſtarum, bellorum, fœderum &c. illorum qui clavum Imperii tenuerunt. Hæc ſi luculenter tradantur, ut diſtincte capi queant, neceſſe eſt, ut tempus & locus adcurate obſerventur. Hinc Chronologia & Geographia duo Hiſtoriæ oculi dicuntur.
2. *Adminicula, vias, modos & occaſiones* internarum regni conſtitutionum & ordinationum, quibus regnum aliquod partim ad tantam Ma-

jeſtatem atque magnitudinem fuerit elevatum, partim rurſus ab ea deturbatum. Hac in re etiam adcurate annotandus eſt nexus, Harmonia & Disharmonia, uti dicitur, quæ inter regnum politicum atque religionem ſubinde interceſſerunt.

Ex. gr. Tota conſtitutio hodierna regni Anglici originem ſuam traxit à religione, quam Jacobus II. mutare molitus eſt, eo autem molimine ſuam amiſit coronam.

Talis Hiſtoria utilis eſt

1. *Viro Politico*, ut ex ſedula illius lectione & conſideratione diſcat, quibus adminiculis, modis, artificiis &c. commoda regni alicujus promoveri queant, & caveri damna. Et id appellatur Prudentia Politica.
2. *Cuilibet alii*, ut juſtitiam Dei in remunerandis virtutibus & puniendis vitiis cognoſcat ex Hiſtoria regnorum.

§. 297.

Def. Hiſtoria Litteraria. *Hiſtoria Litteraria* eſt narratio de ſcientiarum origine, incrementis & decrementis. Illi, quorum labor verſatur in ſcientiis, appellantur Docti. Adminicula, quorum ope

ope docentur, ac promoventur ſcientiæ, præcipua ſunt Libri. *Hiſtoria Litteraria* igitur contineat

1. *Diſtinctam narrationem* de vitis Doctorum, de modis eorum atque viis, quibus ad eruditionem ſuam pervenerunt, & ſpeciatim, qua ratione hanc vel illam peculiarem ſcientiam ſibi compararunt.
2. *Luculentam Deſcriptionem* librorum materiarumque, quas exhibent, ſtili, ordinis, fatorum, optimarum Editionum, &c.
3. *Adminicula, cauſas & molimina*, quibus variæ ſcientiæ & dogmata ſunt inventa, emendata, ex una regione in alteram translata, propagata, aut rurſus in decrementum deducta vel plane deperdita ſunt & amiſſa.

Hinc factum eſt, ut multorum Dogmatum, Hypotheſium, peculiariumque doctrinarum Origo atque fata peculiari tractatione fuerint tradita. Ex. gr. Oporinus in Hiſtoria Critica doctrinæ de immortalitate mortalium. 1735. 8. Ribovius in Diſſertatione Hiſtorico-Philoſophica de Animabus brutorum.

Hujus-

Hujusmodi deſcriptio utilis eſt

1. *Ad acquirendam cognitionem veritatum ab aliis inventarum;*
2. *Ut ita liberemur à præjudiciis, & quidem ex aliorum damno cognitis atque perſpectis.*
3. *Ut ſubinde ex aliorum exemplis in invenienda veritate melius ſapere diſcamus.*

§. 298.

Def. Hiſtoria Miſcellanea. *Hiſtoria Miſcellanea* eſt narratio variarum rerum factorumque, notatu dignorum, quæ in vitis hominum privatis contigiſſe novimus. Hujusmodi narrationes appellari ſolent *Memoires, Diaria, Journaux.* Hæ narrationes ita confici debent, ut occaſio, cauſa, modus, ratio cur & quomodo huic vel illi hoc vel illud contigerit, diſtincte perſpici queat. Præſtant deinde hunc uſum, ut homines in omni vita ſua faciant cautiores.

§. 299.

Probl. Dijudicare libros hiſtoricos. Quæritur jam, quomodo dijudicandi ſint libri Hiſtorici? Reſol.

1. Ante omnia attendatur cuinam Speciei librorum Hiſtoricorum præſens liber dijudicandus, ſit annumeran-

merandus. Poteſt id cognoſci ex inſcriptione libri & ex præfatione Auctoris, ſi quidem in ea ſcopum ſuum detexerit.

2. Inquiratur generatim, utrum Veritas, Ordo & completa narratio, juxta §. 290. in eo deprehendatur.
3. Inquiratur, utrum adſint requiſita ſuæ ſpeciei debita, juxta §. 291. ſq. tum judicari poterit, utrum liber Hiſtoricus titulo ac ſcopo ſuo convenienter ſit confectus, nec ne?
4. Legatur ſæpius & quidem adhibita attentione debita.

Ita enim pervenitur ad ideas diſtinctas. §. 83.

Non multa, ſed multum.

§. 300.

Diviſio Librorum.

Libri Dogmatici continent veritates generales de principiis rerum earumque qualitatibus. Si tantummodo aliorum dogmata eorumque demonſtrationes enarrant, *Hiſtorico-Dogmatici* appellantur, & pertinent ad Hiſtoriam Litterariam. §. 282. Si verô res ipſas explicant, & definiunt ſuasque propoſitiones demonſtrant, appellantur *Syſtematico-Dogmatici*; de quibus jam ſermo eſt.

§. 301.

Theor. *Requiſita* Libri Syſtematico-Dogmatici ſunt 1.) *Perſpicuitas*; 2.) *Soliditas*; 3.) *Ordo*; 4.) *Completa Expoſitio*. Demonſtr.

1. Libri Syſtematico-Dogmatici explicant & definiunt res. §. 300. Definitiones autem careant obſcuritate. §. 145. Libris ergo Syſtematico-Dogmaticis ineſſe debet *perſpicuitas*. Qui non vult intelligi, non debet legi. *Id erat primum.*

2. Libri Syſtematico-Dogmatici aſſerta ſua demonſtrent. §. 300. Ergo non niſi certa & indubitata principia ipſis ineſſe debent. §. 220. Principia certa ſunt experientiæ, definitiones & propoſitiones indemonſtrabiles. §. 245. 247. 248. Liber autem dicitur ſolide ſcriptus, in quo, præter propoſitiones indemonſtrabiles, nihil ſine demonſtratione admittitur. Libris ergo Syſtematico-Dogmaticis ineſſe debet *Soliditas. Id erat ſecundum.*

3. Libri Syſtematico-Dogmatici debent eſſe perſpicui. Nr. 1. Ergo ſequentia ex antecedentibus debent explicari poſſe & intelligi. Id autem adpellatur Ordo in libris. Libris ergo Syſtematico-Dogmaticis ineſſe debet Ordo. *Id erat tertium.*

4. Libri

4. Libri Syſtematico - Dogmatici explicant & definiunt res, & demonſtrant propoſitiones. §. 300. Neceſſe igitur eſt omnes illas iſtis ineſſe veritates, quæ ad rem illam, de qua auctor agit, pertinent. Hujusmodi libris autem Explicatio completa ineſſe dicitur. Ergo Libris Syſtematico - Dogmaticis ineſſe debet *Explicatio Completa. Id erat quartum.*

§. 302.

Ex his jam patet contrarium. *Coroll.*
Libri Syſtematico - Dogmatici
1. *Non ſint obſcuri;*
2. *Nec ſuperficiarii;* Illi autem dicuntur ſuperficiarii, qui ſolide ſcripti non ſunt.
3. *Nec confuſi;* i. e. nihil in ſequentibus occurrat, quod non intelligi poſſit ex antecedentibus.

Diſtingui etiam ſolet ordo in ordinem *Scholæ* & ordinem *Naturæ*. Secundum illum omnia, quæ ad materiam aliquam pertinent, ſeparatim congeruntur. Ex. gr. Anatomici, quidquid de oſſibus corporis humani norunt, in uno capite, quod *Oſteologiam* inſcribunt, proponere ſolent. Secundum hunc autem omnia ita proponuntur, uti

uti ſemper unum ex altero intelligi poteſt & explicari. Cum jam merito *Ordo Scholæ* ſequatur *Ordinem Naturæ*, uti *imago* ſequatur *Archetypum*: patet *Ordinem Scholæ non tam Libris Syſtematico-Dogmaticis, quam Hiſtoricis eſſe accommodatum.*

3. *Nec nimis prolixi, nec juſto breviores.* Scopus Auctoris e titulo Libri & præfatione cognoſcendus, eſt quaſi menſura, ad quam exigi debet liber, utrum completam habeat narrationem, nec ne?

§. 303.

Probl. Legere & dijudicare libros Syſtematicos.

Quomodo igitur *legi & dijudicari* debent Libri Syſtematici? Reſol.

1. Ante omnia ſollicitus eſſe debes de ſcopo auctoris, ex inſcriptione libri & præfatione cognoſcendo, ut adeo ſcire queas, quid ſcribere ſibi propoſuerit.
2. Deinde diſtinguas & dividas omnes illius aſſertiones in ſuas claſſes vel ſpecies, nimirum Definitiones, Axiomata, Theoremata, Problemata &c. ut unamquamvis ex ſuis æſtimare & examinare queas regulis.
3. Attendas, utrum Auctor definitiones terminorum ſuorum tradiderit,

nec

nec ne. Si iſtas non tradidit, inquiras in illius ideas juxta §. 138. & in ſignificatione Terminorum ſtatuenda agas ex §. 175. Si vero iſtas tradidit, examina iſtas, juxta §. 146. utrum recte ſe habeant.

4. Porro examines, iſtius Axiomata & Poſtulata utrum e definitionibus legitime ſequantur. §. 183.
5. Quoad Syllogiſmos videas, utrum iſti legitime ſint concatenati? utrum concluſiones ex præmiſſis non niſi indemonſtrabilibus elicitæ ſint, idque vel Synthetice, vel Analytice. §. 249. ſeq.
6. Attendas, utrum notæ definitionum ex antecedentibus intelligi queant & explicari? utrum adeo ordo ſit ſervatus in libro?
7. Inquiras, utrum Circulus in demonſtrando alicubi deprehendi queat?
8. Denique examines, utrum liber omnia iſta contineat, quæ pro ſcopo auctoris in iſto contenta ſint?

Tali modo invenies, utrum perſpicuitas, ſoliditas, ordo & completa tractatio libro inſit, nec ne? tali ergo modo iſtum etiam dijudicare poteris. §. 286.

Partis Secundæ

Caput Quartum.

De Veritate cum aliis communicanda.

Sectio Prima.

De aliis docendis atque convincendis.

§. 304.

Def. Docere & convincere quid ſit?

NOn nobis met ipſis ſolum, ſed & aliis nati ſumus hominibus. Tenemur ergo ea, quam acquiſivimus, veritatis cognitione aliis quoque inſervire hominibus. Qui conatur efficere, ut alter veritates ipſi adhuc incognitas, intelligat, & de veritate earum certus fiat, alterum *Docere* dicitur. Alterum autem eo adigere, ut de veritate vel falſitate propoſitionis alicujus, ob allatam demonſtrationem, certus fiat, eſt alterum *Con-*

Convincere. In docendo igitur & convincendo eadem ſunt obſervanda.

§. 305.

Docturus & convicturus alium definitiones rerum & terminorum ſemper præmittere debet. Vult enim efficere, ut alius fiat certus. §. 304. neceſſe igitur eſt, ut naturam & indolem rerum intelligat. §. 232. Id autem fieri non poteſt, niſi diſtinctæ & completæ ipſi ſuppeditentur rerum ideæ. Ergo docturus & convicturus alium definitiones rerum & terminorum ſemper præmittere debet. §. 139. 147. *Theor.*

§. 306.

Ex his ſequentia fluunt corollaria: *Coroll.*

1. Nemo alium docere poteſt & convincere, qui ipſe diſtinctas rerum docendarum ideas non habet.
2. Qui alium docere cupit & convincere, terminos obſcuros, vagos & indeterminatos ac improprios penitus fugiat.

3. Qui alium docere cupit & convincere, definitiones ſuas ex ipſa experientia depromat, §. 245. niſi alter ipſe jam diſtinctas habuerit ideas. Quoniam verô experientiæ objecta ſunt individua: neceſſe eſt, ut a rebus individuis, quæ concreta appellari ſolent, incipiat, & ab iis pergat ad abſtracta,

§. 307.

Theor. Docturus & convicturus alios, propoſitionem ſuam vel per experientiam, i. e. a poſteriori, vel per demonſtrationem, i. e. a priori probare tenetur. Conatur enim efficere, ut alii fiant certi. §. 304. ad certitudinem autem pervenitur vel per experientiam, vel per demonſtrationem. §. 233. Ergo propoſitionem ſuam vel per experientiam, vel per demonſtrationem probare tenetur.

§. 308.

Ex his ergo patet, quod

1. Docturus & convicturus alios habitu demonſtrandi gaudeat;
2. Docturus & convicturus alios præditus ſit ſoliditate; i. e. habitu aſſerta

ſerta ſua per principia certa & indubitata, ratiociniis legitimo ordine ſeſe inſequentibus, connectendi.

3. Et quoniam demonſtratio eſt vel directa vel indirecta, §. 254. poterit etiam utrumque genus demonſtrationis, pro re nata, adhiberi.

§. 309.

Docendus & convincendus ad alterius definitiones & demonſtrationes debitam afferre tenetur attentionem. Demonſtr. Qui convincatur, illi res & termini debent definiri. §. 305. Definitiones autem ſunt diſtinctæ & completæ ideæ. §. 139. ad ideas diſtinctas autem pervenimus ope attentionis. §. 83. Convincendus ergo ad alterius definitiones debitam afferre tenetur attentionem. Id erat primum. *Theor.*

Qui convincatur, illi propoſitiones debent demonſtrari, §. 307. Si propoſitiones illi demonſtrari debent, non ſolum de principiis, ſed & de ratiociniis, quod omni-

no recte ſe habeant, certus fieri debet. §. 249. ad utrumque ergo attentus eſſe debet. Id erat ſecundum.

§. 310.

Coroll. Ex his jam ſponte fluit, quod

1. Quoniam affectus impediunt attentionem, ſollicite caveamus, ne convincendus turbetur affectibus.
2. Abſtinendum igitur ab omnibus ſcommatis verbisque contumelioſis. Per iſta enim excitatur ira; ira autem vehementiſſimis annumeranda eſt affectibus.

§. 311.

Theor. *Convincendus in principiis bene verſatus ſit, & habitu ratiocinandi gaudeat.* Qui convincatur, illi propoſitiones debent demonſtrari; §. 307. ad demonſtrationem autem requiruntur principia vera & ratiocinia legitima. §. 249. in principiis ergo, ê quibus ratiocinia deducuntur, bene verſatus eſſe debet. Id erat primum.

Si habitu ratiocinandi non gaudet, etiam perſpicere nequit, utrum

utrum ratiocinia ex principiis legitime ſint deducta. Si hoc non perſpicit, certus fieri non poteſt. §. 231. adeoque nec convinci. §. 304. Convincendus ergo habitu ratiocinandi gaudeat.

§. 312.

Ex his patent ſequentia: *Coroll.*

1. Quamdiu quis neceſſaria veritatis principia non perſpicit, tamdiu convinci nequit. Ante omnia igitur veritatis principia ſibi reddere debet perſpecta.

Ex. gr. Veritatum Theologicarum unicum & ſufficiens principium eſt S. Scriptura. Qui iſtam ignorat, convinci de veritatibus theologicis non poteſt; & qui iſtam in convincendis aliis pro fundamento non ponit, nullam pariet convictionem.

2. Quoniam homines â natura habent facultatem utendi viribus intellectus ſui: §. 47. eamque absque Logica Artificiali ad habitum aliquem elevant: §. 49. etiam homines Logica naturali habitúali gaudentes convinci poſſunt.

§. 313.

Probl. Convincere aliquem. Facile jam erit reſolvere Problema: *Qua ratione alterum convincere queamus.*

Sit propoſitio, de qua convincatur alius:

Honos nil tale eſt, quod appetendi homines juſtas haberent cauſas.

1. Ante omnia definiendi ſunt termini, juxta §. 305. Honos eſt opinio aliorum de noſtris perfectionibus. Juſtas appetendi aliquid habere cauſas, eſt, graves habere rationes, propter quas de aliqua re laboremus, ut iſtam nobis reddamus propriam.
2. Si convincendus has definitiones nondum novit, per experientiam iſtæ ſunt inveniendæ. §. 306. Nr. 3. Eundum igitur per Exempla hominum honoratorum. Eruditus honoratur ab aliis, quando opinionem de eo habent, illum eſſe magnum ſcientiarum magiſtrum. Dives honoratur, quoniam homines opinionem habent divitias inter perfectiones eſſe referendas. Medicus honoratur, quando homines opinionem habent, eum perquam bene morbis mederi poſſe. Tali modo etiam inquiri poteſt in defini-

nitio-

nitionem alteram: Quid eſt juſtas appetendi habere cauſas?

3. Ex his definitionibus confice propoſitiones indemonſtrabiles, adde iſtis experientias & alias jam cognitas propoſitiones certas. §. 307. Qui honorem quærit, efficere conatur, ut alter opinionem habeat de ipſius perfectionibus. *Id eſt Axioma.* Quoniam opinio eſt propoſitio nondum ſufficienter probata: §. 260. Opinio alterius de noſtris perfectionibus ſufficiens non eſt ad id, ut nobis iſtas perfectiones dare poſſit. *Id pariter eſt Axioma.* Eſt verô ſimul etiam *experientia.* Nam ſi homines opinionem haberent, me poſſidere centum mille florenos, illa opinio facere non poſſet, ut ego re vera iſtos poſſiderem. In diſciplina Morali docetur Theorema: Homo de omnibus iſtis laborare debet rebus, de quibus novit, quod illum felicem reddere queant, & quoad animam & quoad corpus. *Inde fluit Corollarium:* Quidquid hominem nec quoad animam nec quoad corpus, felicem reddit, de eo laborandi juſtas non habet cauſas.

4. Ex his certis principiis elice ratiocinia legitima Methodo Analytica, §. 250. & convinces alium, ſi quidem attentus, §. 309. in principiis bene verſatus, & habitu ratiocinandi præditus fuerit. §. 311.

Quidquid felicem me non reddit, de eo neceſſe non eſt ut laborem.
Honor me felicem non reddit; Ergo
De honore neceſſe non eſt ut laborem.

Propoſitio Major eſt theorema e diſciplina Morali.

Propoſitio Minor debet demonſtrari.

Quidquid perfectiones mihi non dat, illud etiam felicem me non reddit.
Honor perfectiones mihi non dat; E.
Honor me felicem non reddit.

Propoſitio Major eſt Axioma, e definitione felicitatis & perfectionum fluens; nobis autem jam eſt Theorema e diſciplina Morali.

Propoſitio Minor probatur:

Quidquid tantummodo eſt opinio de alterius perfectionibus, illud ipſas perfectiones ipſi non dat;
Honor eſt tantummodo opinio de alterius perfectionibus; Ergo
Honor ipſas perfectiones non dat.

Propo-

Propoſitio Major eſt Axioma e definitione opinionis.

Minor Propoſitio eſt Definitio Honoris.

§. 314.

Coroll. Convictio & demonſtratio ab iisdem pendet regulis.

Qui reſolutionem hujus problematis: qua ratione convincendus ſit alter? cum reſolutione iſtius Problematis: Qua ratione per Demonſtrationem acquirere queamus certitudinem? confert: ille ubivis regulas deprehendet easdem. Ergo qui convincit, demonſtrat; & qui demonſtrat, convincit.

§. 315.

Def. Perſuaſio.

Fieri poteſt, immo quotidie fit, ut homines aſſenſum ſuum præbeant alicui propoſitioni, quæ nec ſufficienter explicata ac definita, nec legitime demonſtrata eſt. §. 305. 307. Id adpellatur perſuadere. Perſuadere ergo eſt alterum eo adigere, ut propoſitionem aliquam pro certa habeat, ut ut nec ſufficienter explicata ac definita, nec legitime demonſtrata ſit.

Ita

Ita ex. gr. Ruſticus ruſtico perſuadet, ut hanc propoſitionem habeat pro certa: Saltare ac ludere homines chriſtianos non dedecet. Cur? quia Dominus paſtor ipſe ſaltat ac ludit.

§. 316.

Coroll. Ergo

1. Qui ſibi non vult perſuaderi, ille ſibi omnia ſufficienter explicanda ac definienda, & legitime demonſtranda curet. Eo modo agat, quo in libris legendis & dijudicandis agere debet.

2. Præjudicia ſunt propoſitiones incertæ. §. 230. Præjudiciis ergo occupatus, poteſt ex illis propoſitionem aliquam elicere, quæ legitime demonſtrata non eſt; illi ergo etiam facile poteſt perſuaderi. Ergo qui ſibi non vult perſuaderi, præjudiciis nuncium mittat.

§. 317.

§. 317.

Quæritur ergo, quomodo examinari queat, num convicti ſimus, an verô tantum nobis perſuaſum ſit? Reſol. *Probl.*

Si quis examinare vellet, utrum de propoſitione illa; *ſaltare ac ludere homines chriſtianos non dedecet:* convictus ſit, an vero tantum perſuaſus? ille

1. Deberet examinare, utrum ideas diſtinctas & completas Subjecti & Prædicati habeat. Definitiones enim ſunt ideæ diſtinctæ completæ. Has ſi non habet, ſibi perſuaſum eſſe credat.
2. Utrum principia certa habeat; i. e. definitiones, experientias & propoſitiones indemonſtrabiles.
3. Utrum ê principiis certis ratiocinia legitime ſint deducta. Ita facile deprehendet, utrum convictus ſit, an vero perſuaſus.

* * * **
* ** *

Sectio

Sectio Secunda.

De
Modo refutandi alios.

§. 318.

Def. Refutare quid? Convincere aliquem de propoſitionis ſuæ falſitate, eſt illum refutare.

Ex. gr. Si Atheum convinco de falſitate propoſitionis ſuæ: Deus non exiſtit: illum refuto.

§. 319.

Ax. Ex hac definitione fluunt ſequentia:

1. Refutaturus alterum idem facere debet, quod convicturus alterum facere debet.
2. Neceſſe ergo eſt, ut terminos refutandæ propoſitionis definiat, §. 305. eo fine, ut alter cognoſcat, propoſitionem ſuam â refutante recte intelligi. Id eſt formare ſtatum controverſiæ. Ita Logomachiæ evitantur. §. 120.
3. In refutando ergo omnes iſtæ regulæ ſunt obſervandæ, quæ in interpretandis aliorum ſcriptis ſunt obſervandæ.

§. 320.

§. 320.

Refutaturus alterum debet demonſtrare falſitatem propoſitionis, quam affert. Demonſtr. Vult enim alterum convincere de falſitate propoſitionis, quam affert. §. 318. Qui convincere vult, debet demonſtrare. §. 307. refutaturus ergo alterum debet demonſtrare falſitatem propoſitionis, quam affert. *Theor.*

§. 321.

Ex his patet: *Coroll.*

1. Quia impoſſibile eſt, ut propoſitio vera non ſit vera; adeoque etiam demonſtrari non poteſt propoſitionem veram non eſſe veram; Propoſitio vera refutari non poteſt.

 Ex. gr. Deus exiſtit; hæc propoſitio refutari non poteſt.

2. Quoniam omnes propoſitiones demonſtratæ ſunt veræ; §. 249. propoſitio demonſtrata refutari nequit.

 Quoniam Mathematici in Matheſi omnia demonſtrant, nemo datur, qui iſtos refutare aut poſſet, aut vellet.

3. Qui propoſitionem aliquam demon-

monſtravit, eo ipſo contrarium illius propoſitionis refutavit.

Ex. gr. Si quis demonſtravit propoſitionem hanc: Non dantur adiaphora: eo ipſo refutavit illius contrarium: Dantur adiaphora.

4. Propoſitio ergo vera poteſt quidem impugnari, i. e. variæ poſſunt afferri rationes dubitandi de veritate propoſitionis, ſed refutari propoſitio vera non poteſt.

§. 322.

Def. Refutatio Directa & Indirecta.

Quoniam, qui alterum refutare cupit, demonſtrare debet, quod ipſius propoſitio ſit falſa; demonſtratio autem vel directa vel indirecta eſt; §. 254. ſequitur refutationem quoque vel Directam eſſe vel Indirectam. Illa demonſtrat falſitatem præmiſſarum, e quibus alter propoſitionem ſuam elicuit, aut falſitatem ipſius ratiocinii. Hæc autem alterius propoſitionem pro vera aſſumit, & per ratiocinia vera ad propoſitionem aliquam devenit, quæ falſa eſt & abſurda.

§. 323.

Probl.

Quæritur ergo, qua ratione inſtituen-

ſtituenda eſt refutatio directa, qua propoſitio aliqua refutetur? Reſol.

Sumamus Probabiliſmum Jeſuitarum: Propoſitio illorum hæc eſt: *Qui agit ex conſcientia probabili, non peccat, licet ipſius actio ſit mala.* Quomodo ergo refutatur hæc propoſitio?

1. Defini Subjectum & Prædicatum ex mente Jeſuitarum. §. 319. Qui ex conſcientia probabili agit, eſt talis, qui ſecundum effatum viri cujusdam pii & eruditi actiones ſuas inſtituit. Actio mala eſt actio contra præceptum Dei.
2. Redige propoſitionem & ipſius rationes in Syllogismos, ut tibi pateat: utrum præmiſſæ ſint falſæ, vel modus concludendi ſit falſus, nec ne? Syllogismus in hoc exemplo ita ſe habere deberet:

Qui ſecundum effatum viri pii & eruditi contra præceptum Dei agit, non peccat;

Qui ex conſcientia probabili contra præceptum Dei agit, ille ſecundum effatum viri pii & eruditi agit.

Ergo qui contra præceptum Dei agit, non peccat.

3. Inquire jam in veritatem aut falſitatem præmiſſarum juxta §. 225.

Attende, utrum Subjectum cum prædicato conveniat, nec ne? Subjectum eſt: Homo contra præceptum Dei agens ſecundum effatum viri pii & eruditi. Prædicatum: non peccat. Peccare eſt agere contra præceptum Dei. Propoſitio ergo æquipollet huic: Qui ſecundum effatum viri pii & eruditi peccat, non peccat. Hæc propoſitio eſt contradictoria, adeoque falſa. Ergo etiam Syllogismus eſt falſus. §. 226.

4. Si propoſitiones fuerint veræ, inquiras utrum Syllogismus ratione formæ ſit verus. §. 225.

§. 324.

Hic modus refutandi per demonſtrationem directam eo magis ſe commendat, quia ſimul oſtendit, quî factum ſit, ut alter ad propoſitionem aliquam falſam fuerit ſeductus. Intelligitur enim ex iſta non ſolum quod propoſitio aliqua ſit falſa, ſed etiam cur ſit falſa. Et tali modo ſolida adſtruirur refutatio. §. 5.

§. 325.

Probl. Quomodo refutatio indirecta ſit inſtituenda, §. 254. nos docet.

1. Pone

1. Pone interim, propoſitionem refutandam eſſe veram. Ex. gr. *Quædam actiones hominum ſunt indifferentes.*
2. Quære definitionem Subjecti & Prædicati. Actiones hominum ſunt mutationes, quarum ratio in ipſo homine deprehenditur. Actiones indifferentes ſunt, quæ nec bonæ ſunt, nec malæ.
3. Fac Syllogiſmum, cujus altera præmiſſa eſt aliqua ex his definitionibus, & altera illius præmiſſa ſit propoſitio refutanda.

Omnes actiones indifferentes nec bonæ ſunt nec malæ.
Quædam actiones hominum ſunt indifferentes;
Ergo quædam actiones hominum nec bonæ ſunt, nec malæ.

4. Quære novas Definitiones, vel alias propoſitiones indemonſtrabiles, cum concluſione hujus Syllogiſmi terminum communem habentes.

Bonæ actiones ſunt, quæ cum lege divina congruunt.
Quæ actiones bonæ non ſunt, illæ cum lege divina non congruunt.
Quædam actiones hominum nec bonæ ſunt, nec malæ.
Ergo quædam actiones hominum cum lege divina non congruunt, & non ſunt malæ.

 5. Hoc

5. Hoc modo perge ratiocinando, dum ad concluſionem aliquam deductus fueris, quæ abſurda eſt & contradictoria.

Malæ actiones ſunt, quæ cum lege divina non congruunt.

Quæ actiones ergo malæ non ſunt, illæ cum lege divina congruunt.

Quædam actiones hominum cum lege divina non congruunt, & malæ non ſunt.

Ergo quædam actiones hominum cum lege divina congruunt & non congruunt.

Id eſt abſurdum & contradictorium.

6. Examina definitiones datas, utrum veræ ſint, an falſæ? ſi veræ ſunt, & ſi legitimo modo ratiocinatus es, & nihilominus ad abſurdam concluſionem es deductus: oportet priorem propoſitionem aſſumtam eſſe falſam. Tali modo ergo oſtendiſti illam eſſe falſam, adeoque illam refutaſti.

§. 326.

Theor. Alterum refutaturus ſcommata & dicteria fugiat. Demonſtr. Vult enim alterum convincere. §. 318. Ergo affectibus iſtum turbare non debet. §. 310. ergo etiam ſcommata & dicteria fugiat. §. 310. 2.

§. 327.

§. 327.

Qui ergo in alterum ſcommatis utitur & dicteriis, animum refutandi non habet; ſed tantummodo alterum contumelioſe habere aliorumque odio exponere ſtudet. *Coroll.*

Ex. gr. Qui credit, licitum non eſſe in ſalutem & ſanitatem Cæſaris afferre thura & altaria Deorum, ille Cæſaris hoſtis eſt & rebellis. Atqui Chriſtiani credunt licitum non eſſe &c. Ergo Chriſtiani ſunt hoſtes Cæſaris atque rebelles. Ita olim ratiocinabantur ethnici. Animum non habebant Chriſtianos refutandi, ſed iſtos odio exponendi.

§. 328.

Def. Conſequentiarum fabricatio.

Hicce modus, ex alterius propoſitionibus, illegitimo modo, odioſas, contumelioſas & periculoſas eliciendi propoſitiones, appellatur *Conſequentiarum Fabricatio.* Quoniam itaque illa pro ſcopo non habet, ut alter refutetur, ſed tantummodo ut odio exponatur: §. 327. hujusmodi argumenta appellantur argumenta ab invidia ducta, multumque differunt â demonſtratione indirecta. §. 322.

Clericus diſſertationem edidit, quam inſcribebat: *De argumento Theologico ab invidia ducto.* Vid. Log. p. 253. in qua ſedecim concludendi modos ex Hiſtoria annotavit. Inter quos maxime frequentes deprehenduntur ſequentes:

1. Comparatio inſtituitur inter doctrinam examinandam & doctrinam virorum odioſorum. Ex. gr. Ariani hocce oraculum ita interpretati ſunt. Lutherani eodem modo iſtud interpretantur. Ergo Lutherani ſunt Ariani. Qui falſitatem talis ratiocinii perſpicere cupit, quærat tantummodo juxta §. 205. cauſam concluſionis: Cur Lutherani dicuntur Ariani? Quia oraculum ita interpretantur. Major igitur ita ſe haberet: Qui hocce oraculum ita interpretatur, ille eſt Arianus. Quæſo! quis ferre poſſet ita ratiocinantem?

2. A vili conditione, item paucitate eorum, qui doctrinam adoptarunt, ut & â tempore, quo doctrina ſuum cepit initium, argumentum deducitur ad doctrinæ contemtum. Ethnici ita argumentabantur: Primi Chriſtiani erant piſcatores; piſcatores ſunt homines tantum non infimæ conditionis, & parum ſapientes. Ergo Chriſtiani ſunt

gens

gens cœca parumque ſapiens, nec melior eſt ipſorum doctrina.

3. E propoſitionibus alterius variæ & religioni & ſtatui politico periculoſæ eliciuntur propoſitiones.

Ex gr. Qui dicit: Chriſtianum non decere, cauſas afferre ad judicem! ille omnia judicia, dicaſteria, totumque Magiſtratum ſpernit ac rejicit.

§. 329.

Theor. Quoniam conſequentiarum fabricatio tantummodo odioſas & contumelioſas ac periculoſas elicit concluſiones; §. 328. per iſtam homines ad iram concitantur. Convincendus autem affectibus turbari non debet. §. 309. *Ergo conſequentiarum fabricatio in convincendo non eſt adhibenda.* Qui refutandi ſunt, ſunt convincendi, Ergo *conſequentiæ in refutando non ſunt adhibendæ.*

Sectio Tertia.
De Modo Diſputandi.

§. 330.

Def. Diſputatio. SI duo de veritate propoſitionis alicujus coram diſceptant ita

ita ut alter rationes ſuas afferat, propter quas iſtam veram eſſe contendit, & ad argumenta contraria reſpondeat; alter autem & veritatem propoſitionis & datas reſponſiones impugnet, *Diſputare* dicuntur. *Diſputatio* ergo eſt mutua propoſitionis cujusdam impugnatio & defenſio, coram inſtituta. Ille, qui dubia ſua contra alterius propoſitionem defenſam profert, appellatur *Opponens*. Qui ad dubia reſpondet, dicitur *Reſpondens*. Si quis tertius a reſpondentis partibus ſtat, appellatur *Præſes*.

§. 331.

Diſputaturus cum alio in terminis contradictoriis verſetur. Dem. Rationes affert, propter quas propoſitionem alterius pro falſa habet. §. 330. Alter autem propoſitionem iſtam pro vera habet, quoniam iſtam defendit. §. 330. Neceſſe igitur eſt, ut diſputaturus cum alio in terminis contradictoriis verſetur.

§. 332.

332.

Ex his fluunt requiſita opponentis ſequentia: *Coroll. Requiſita Opponentis.*

1. Conveniat ipſi cum altero in notionibus; aliâs enim contrarium defendere neſcit, & in Logomachias delabitur. §. 120.
2. Alteri indicet, quas ideas cum Subjecto & prædicato conjungat, & quo ſenſu propoſitionem intelligat. §. 118. i. e. formet ſtatum controverſiæ. §. 319. 2.
3. Aut a reſpondente definitiones ſubjecti & prædicati, itemque ſenſum propoſitionis poſtulet; aliâs enim iſtum non intelligit.
4. Contrarium Syllogismo probet.
5. Præmiſſas demonſtret, & demonſtrando eo usque continuet, dum ad præmiſſas pervenerit, quæ ſunt definitiones & propoſitiones indemonſtrabiles.
6. Si propoſitio reſpondentis vera eſt, fieri non poteſt, ut demonſtretur iſtam eſſe falſam. §. 321. Opponens ergo ne ſit pertinax, ſed datis acquieſcat reſponſionibus.

7. Interdum etiam indirecte demonſtret. §. 254. id appellari ſolet κατ᾽ ἄνθρωπον diſputare.

8. Conſequentiarum fabricationem fugiat. §. 328.

§. 333.

Requiſita Reſpondentis. Requiſita autem Reſpondentis, ut & Præſidis ſunt ſequentia:

1. Propoſitionem ſuam, ſi nondum fuerit explicata, libenter & diſtincte explicet, & definitiones Subjecti & prædicati præbeat.

2. Argumentum ab opponente allatum aſſumat & repetat.

3. Præmiſſas examinet, utrum veræ ſint, & utrum concluſio legitime ſit elicita?

4. Si opponens propoſitionem aliquam particularem univerſaliter exhibuit, illi exemplo aliquo monſtret, illam non eſſe univerſalem; i. e. per *inſtantiam* reſpondeat.

5. Si qua ex præmiſſis eſt vel definitio, vel experientia, vel propoſitio indemonſtrabilis, illam *concedat;* Si non eſt, *petat probationem.* Probationem allatam aſſumat & repetat, Nr. 2. denuo præmiſſas examinet

examinet, Nr. 3. 4. & pro re nata, denuo iſtas probandas poſtulet.

6. Si conſequentia eſt falſa, illius falſitatem opponenti diſtincte monſtret ſecundum reg. §. 202. 204. 206.

7. Si ſyllogiſmi opponentis ſunt ſecundæ, tertiæ aut quartæ figuræ, aut cryptici, reducat iſtos juxta §. 205. 209. 213. 216. in categoricos, qui ſunt maxime naturales, & falſitatem mox produnt.

8. Si propoſitio reſpondentis fuerit falſa: poterit iſtam opponens refutare, adeoque iſtum de errore convincere. Uti ergo Opponens non ſit pertinax; §. 332. Nr. 6. ita nec reſpondens. Fateatur hoc in caſu errorem ſuum. Errare humanum eſt, in errore perſeverare diabolicum.

§. 334.

Ex his utriusque & opponentis & reſpondentis requiſitis ſequitur: *Requiſita utriusque.*

1. Ut diſputaturi rem vel materiam diſputationis bene intelligant.

2. Linguam, qua diſputaturi ſunt, optime calleant, ut facile & diſtincte

ſtinĉte animi ſui ſenſa proferre queant.

3. Præſenti animo ſint, nec affectibus, ubique obſcuritatem generantibus, ſe turbari patiantur.

4. Diſſertationem, quam plerumque vel Præſes vel Reſpondens ſcripto vel typis expreſſam ventilationi ſubjicit, Reſpondens vel Præſes juxta §. 251. conſcribat, & opponens iſtam ante Diſputationem juxta §. 303. examinet.

§. 335.

Atque hæ ſunt leges juſtæ diſputationis, quas ſi ſequentur diſputantes, a ſcopo ſuo non aberrabunt.

Defi-

Definitiones Præcipuæ per omnia Logicæ Capita.

1. *Quid eſt Cognitio Hiſtorica ſ. Vulgaris?*

Cognitio Hiſtorica ſ. Vulgaris eſt Cognitio, qua ſimpliciter intelligitur quid & extra & intra nos ſit atque fiat. (§. 3.)

2. *Quid eſt Cognitio Philoſophica?*

Cognitio Philoſophica eſt Cognitio, qua ſimul ratio intelligitur, cur & quomodo res, quæ intra & extra nos ſunt atque fiunt, ita præciſe ſint atque fiant, & non aliter. (§. 5.)

3. *Quid eſt Cognitio Mathematica?*

Cognitio Mathematica eſt Cognitio Quantitatis vel Magnitudinis rerum. (§. 6.)

4. *Quid eſt Scientia?*

Scientia eſt habitus aſſerta ex principiis indubitatis demonſtrandi. (§. 18.)

5. *Quid eſt Philoſophia?*

Philoſophia eſt ſcientia, rationes atque cauſas rerum, quæ ſunt atque fiunt, cur & quomodo ita potius ſint atque fiant, & non aliter; ex principiis indubitatis demonſtrandi. (§. 18.)

6. *Quid*

6. Quid eſt Pſychologia?

Pſychologia eſt illa pars Philoſophiæ, quæ agit de anima, iisque quæ in anima contingunt. (§. 22.)

7. Quid eſt Logica?

Logica eſt illa Philoſophiæ pars, quæ docet recte uti facultate cognoſcitiva in cognoſcendo vero atque falſo. (§. 24.)

8. Quid eſt Philoſophia Practica?

Philoſophia Practica eſt illa Philoſophiæ pars, quæ docet recte uti facultate Appetitiva in appetendo bono & averſando malo. (§. 24.)

9. Quid eſt Ethica?

Ethica eſt illa Philoſophiæ pars, quæ docet, quomodo homo liberas ſuas actiones in ſtatu naturali inſtituat, quando felicitatem ſuam promovere cupit. (§. 26.)

10. Quid eſt Oeconomica?

Oeconomica eſt illa Philoſophiæ pars, quæ docet, quomodo homo liberas ſuas actiones inſtituat in ſtatu œconomico, quando felicitatem ſuam promovere cupit. (§. 27.)

11. Quid eſt Politica?

Politica eſt illa Philoſophiæ pars, quæ docet,

docet, qua ratione homines in ſtatu Politico liberas ſuas inſtituant actiones, quando felicitatem ſuam promovere cupiunt. (§. 28.)

12. Quid eſt Phyſica?

Phyſica eſt illa Philoſophiæ pars, quæ de corporibus eorumque viribus agit. §. 30.)

13. Quid eſt Cosmologia?

Cosmologia eſt illa Philoſophiæ pars, quæ agit de Mundo generatim ſpectato. (§. 31.)

14. Quid eſt Theologia Naturalis?

Theologia Naturalis eſt illa Philoſophiæ pars, quæ agit de Deo, quantum quidem rectæ rationis ductu cognoſci de eo poteſt. (§. 32.)

15. Quid eſt Ontologia?

Ontologia eſt illa philoſophiæ pars, quæ agit de Ente generatim ſpectato. (§. 33.)

16. Quid eſt Metaphyſica?

Metaphyſica eſt ſcientia de Deo, Anima, Mundo & Entibus in genere ſpectatis. Sive: Ontologia, Cosmologia, Pſychologia & Theologia Naturalis, uno nomine dicuntur Metaphyſica. (§. 33.)

17. Quid eſt Methodus?

Methodus eſt ordo proponendi ſuas cogitationes

tationes. Vel: Methodus eſt ſimilitudo in modo, quo cogitationes ſibi ſuccedunt.

18. *Quid eſt Methodus Philoſophica?*

Methodus Philoſophica dicitur iſte ordo, quem Philoſophi in tradendis ſuis dogmatis ſequantur. (§. 37.)

19. *Quid eſt Stilus Philoſophicus?*

Stilus Philoſophicus eſt ille Stilus, quo philoſophi utantur, quando cogitationes ſuas vel ſcriptis vel ore prolatis exprimunt vocibus, (§. 42.)

20. *Quid eſt Logica Naturalis connata?*

Logica Naturalis connata eſt illa facultas quam homines â natura habent, utendi viribus intellectus ſui in diſernendo vero atque falſo. (§. 47.)

21. *Quid eſt Logica Naturalis Acquiſita?*

Logica Naturalis acquiſita eſt promtitudo quotidiana praxi acquiſita utendi viribus intellectus in diſcernendo vero atque falſo. (§. 49.)

22. *Quid eſt Logica Artificialis?*

Logica Artificialis eſt ſcientia regularum, ſecundum quas intellectus noſter in diſcernendo vero atque falſo dirigitur. (§. 51.)

23. *Quid*

23. Quid eſt Intellectus ſenſu generali ſumtus?

Intellectus eſt illa animæ facultas, qua ſibi res vel intra vel extra nos exiſtentes repræſentat. (§. 56.)

24. Quid eſt Operatio Mentis ſeu Intellectus?

Operatio Mentis ſeu Intellectus eſt mutatio, quæ in anima accidit, & cujus ratio in intellectu deprehenditur. (§. 57.)

25. Quid eſt Idea ſeu Notio?

Idea ſeu Notio eſt rei in mente repræſentatio cujus intellectus ſibi conſcius eſt. (§ 60.)

26. Quid eſt Judicium?

Judicium eſt illa Operatio mentis, qua duæ Ideæ vel conjunguntur vel disjunguntur. (§. 63.)

27. Quid eſt Ratiocinatio?

Ratiocinatio eſt illa Operatio Mentis, qua e duobus judiciis, communem ideam habentibus, tertium elicit judicium, conjungendo duas alteras a ſe diverſas ideas. (§. 64.)

28. Quid eſt Differentia Idearum Formalis?

Differentia idearum Formalis eſt illa idearum Differentia, quæ deſumitur â modo repræſentandi. (§. 66.)

29. Quid eſt Idea Clara?

Idea Clara eſt ejusmodi repræſentatio, quæ ſufficit ad rem agnoſcendam & ab aliis diſtinguendam. (§. 67.)

30. Quid eſt idea obſcura?

Idea obſcura eſt ejusmodi repræſentatio, quæ non ſufficit ad rem agnoſcendam & ab aliis diſtinguendam. (§. 67.)

31. Quid eſt Idea Diſtincta?

Idea Diſtincta eſt, quando nonſolum objecti ipſius, ſed & notarum ipſius claras habemus ideas. §. 78.)

32. Quid eſt Idea Confuſa?

Idea Confuſa eſt, quando quidem objecti ipſius claram, ſed notarum illius nonniſi obſcuras habemus ideas. (§. 79.)

33. Quid eſt Idea Completa?

Idea Completa eſt, quando non ſolum totius rei, ſed & omnium ad rem ſemper & ubique ab omnibus aliis diſcernendam ſufficientium notarum claras habemus ideas. (§. 86.)

34. Quid eſt Idea Incompleta?

Idea Incompleta eſt, quando quidem totius rei, atque notarum quarundam claras habemus ideas, ſed quæ ſufficientes non ſunt ad rem ſemper & ubique ab omnibus aliis diſcernendam. (§. 87.)

35. Quid

35. *Quid eſt Idea Abundans?*

Idea Abundans eſt, quæ plures continet notas, quam quidem ad rem diſcernendam ſufficientes ſunt. (§. 92.)

36. *Quid eſt Idea Adæquata?*

Idea Adæquata eſt, quando nonſolum totius rei, ſed & notarum plane omnium diſtinctas habemus ideas. (§. 94.)

37. *Quid eſt Idea Inadæquata?*

Idea Inadæquata eſt, quando quidem totius rei diſtinctam, ſed notarum illius tantummodo claras habemus ideas. (§. 94.)

38. *Quid eſt Differentia Idearum Materialis?*

Differentia Idearum Materialis eſt illa Idearum Differentia, quæ deſumitur ab ipſis rebus repræſentatis. (§. 100.)

39. *Quid eſt Individuum?*

Individuum eſt id, cujus notæ ſimul ſumtæ nulli alii competere poſſunt rei. (§. 101.)

40. *Quid eſt Idea Individualis?*

Idea Individualis eſt repræſentatio notarum, quæ ſimul ſumtæ non niſi uni rei competunt. (§. 101.)

41. *Quid ſunt characteres ſeu Notæ Eſſentiales ſeu Internæ?*

Characteres ſeu Notæ Eſſentiales ſeu Internæ ſunt illæ, quæ conſtanter in re

aliqua ſunt, & eſſe debent, ut res id ſit, quod eſt. (§. 102.)

42. *Quid ſunt characteres ſeu Notæ Accidentales ſeu Externæ?*

Characteres ſeu Notæ Accidentales ſeu Externæ ſunt illæ, quæ non conſtanter in re aliqua deprehenduntur, & ſine quibus res aliqua id eſſe poteſt, quod eſt. (§. 102.)

43. *Quid eſt Comprehenſio Ideæ?*

Comprehenſio Ideæ eſt Complexus notarum ad ideam aliquam conſtituendam ſimul ſumendarum. (§. 106.)

44. *Quid eſt Extenſio Ideæ?*

Extenſio Ideæ eſt complexus objectorum, quibus illa Ideæ competit. (§. 106.)

45. *Quid eſt Abſtrahere?*

Abſtrahere eſt unam alteramve notam absque reliquis, cum quibus alias unitæ ſunt, ſibi repræſentare. (§.107.)

46. *Quid eſt Species?*

Notæ multis Individuis communes, dicuntur *Species*. Vel: *Species* eſt ſimilitudo Individuorum. (§. 104.)

47. *Quid eſt Differentia Specifica?*

Notæ, quas Individuum aliquod, vel Species ſibi ſoli vindicat, dicuntur *Differentia Specifica*. (§. 105.)

48. *Quid*

48. Quid eſt Genus?

Notæ pluribus Speciebus communes dicuntur *Genus.* Vel: *Genus* eſt ſimilitudo Specierum. (§. 105.)

49. Quid eſt Idea Univerſalis?

Idea Univerſalis eſt repræſentatio notarum pluribus individuis pluribusque Speciebus communium. (§. 105.)

50. Quid eſt Idea Arbitraria?

Quando ê notis, quas in re quapiam deprehendo, nonnullas rejicio, nonnullas autem retineo, retentisque unam alteramve, quas in aliis rebus animadvertere licuit, pro arbitrio addo; habeo *Ideam Arbitrariam.* Vel: *Idea Arbitraria* eſt repræſentatio quarundam Notarum, quas pro arbitrio meo in re quapiam unio. (§ 109.)

51. Quid eſt Vox ſeu Terminus?

Vox ſeu Terminus eſt ſonus, quem homines tanquam ſignum cogitationum ſuarum adhibere ſolent. (§. 115.)

52. Quid eſt Vox Caſſa ſeu Inanis?

Vox Caſſa ſeu Inanis eſt ſonus, qui nunquam ut ſignum cogitationis adhibetur, vel adhiberi poteſt.

53. Quid eſt intelligere alterum?

Intelligere alterum eſt eaſdem cum illius

vocibus conjungere ideas, quas ipſe cum illis conjungit. (§. 118.)

54. Quid eſt explicare vocem?

Explicare vocem nihil aliud eſt, quam indicare ideam, quæ cum voce iſta ſolet conjungi. (§. 118.)

55. Quid eſt Logomachia?

Logomachia eſt decertatio quorundam inter ſe de propoſitionis alicujus veritate, de qua litigaturi non eſſent, ſi ſe mutuo intelligerent; i. e. ſi easdem ideas cum iisdem vocibus conjungerent. (§. 119.)

56. Quid eſt Terminus Obſcurus?

Terminus Obſcurus eſt, cum quo idea obſcura eſt conjuncta. (§. 121.)

57. Quid eſt Terminus Clarus?

Terminus Clarus eſt, cum quo idea Clara eſt conjuncta. (§. 121.)

58. Quid eſt Terminus Vagus; ſeu Indeterminatus, ſeu æquivocus?

Terminus Vagus ſeu Indeterminatus ſeu æquivocus eſt Terminus, cum quo non conſtanter eadem conjungitur idea. (§. 125.)

59. Quid eſt Terminus Fixus, ſeu Determinatus, Univocus?

Terminus Fixus, ſeu Determinatus, ſeu Uni-

Univocus eſt, cum quo conſtanter eadem conjungitur idea. (§. 125.)

60. Quid eſt Terminus Proprius?

Terminus Proprius eſt, qui cum ea conjunctus eſt idea, cui indigitandæ primum & originaliter eſt deſtinatus. (§. 128.)

61. Quid eſt Terminus Improprius ſeu Metaphoricus?

Terminus Improprius ſeu Metaphoricus eſt, qui cum ea conjungitur idea, quæ aliquid ſimile habet cum illa, cui ſenſu proprio indigitandæ eſt deſtinatus. (§. 128.)

62. Quid eſt Terminus Abſtractus?

Terminus Abſtractus eſt Terminus, qui unam pluresve denotat rei alicujus notas, absque re, cui notæ illæ inſunt. (§. 131. Nr. 8.)

63. Quid eſt Terminus Concretus?

Terminus Concretus eſt Terminus, qui rem cum notis ipſi inexiſtentibus denotat. (§. 131. Nr. 8.)

64. Quid eſt Definitio? Quid Definitum?

Notio diſtincta completa verbis expreſſa adpellatur *Definitio*; Terminus verô, qui iſtam denotat ideam, adpellatur *Definitum*.

65. Quid eſt Definitio Nominalis?

Definitio Nominalis eſt Definitio, quæ hujuſmodi notas definiti continet, quæ ad iſtud diſcernendum ſufficiunt. (§. 147.)

66. Quid eſt Definitio Realis ſeu Genetica?

Definitio Realis ſeu Genetica eſt Definitio, quæ Géneſin rei, modum quo res fit, & pro re nata, materiam ex qua formatur vel oritur, indicat. (§. 147.)

67. Quid eſt Deſcriptio?

Deſcriptio eſt recenſio notarum alicujus rei externarum ſeu accidentalium. (§. 155)

68. Quid eſt Diviſio? Quid Diviſum?

Si in idea aliqua univerſali Species, quas in illa deprehendo, ſeparatim mihi repræſento, adeoque Genus in ſuas Species reſolvo, adpellatur *Diviſio Logica ſeu Mentalis;* Id autem, quod ita reſolvitur, *Diviſum* adpellatur. (§. 157.)

69. Quid ſunt Membra Dividentia?

Membra Dividentia dicuntur partes ſeu Species, in quas Diviſum reſolvitur. (§. 157.)

70. Quid eſt Propoſitio?

Propoſitio eſt oratio, in qua duæ Ideæ vel

vel conjunguntur vel disjunguntur. Vel: Propoſitio eſt judicium verbis expreſſum. (§. 162.)

71. *Quid eſt Affirmare?*

Affirmare eſt intelligendum præbere, quod in una idea aliquid deprehendatur, propter quod altera ei tribui queat. (§. 163.)

72. *Quid eſt negare?*

Negare eſt intelligendum præbere, quod in una idea aliquid deprehendatur, propter quod altera ipſi tribui nequeat. (§. 163.)

73. *Quid eſt Subjectum Propoſitionis?*

Subjectum Propoſitionis eſt ille Terminus Propoſitionis, de quo aliquid vel affirmatur vel negatur. (§. 164.)

74. *Quid eſt Prædicatum Propoſitionis?*

Prædicatum Propoſitionis eſt ille Terminus Propoſitionis, qui de altero vel affirmatur vel negatur. (§. 164.)

75. *Quid eſt Copula?*

Copula eſt ille Terminus Propoſitionis, qui factam affirmationem vel negationem indicat. (§. 164.)

76. *Quid eſt Propoſitio Cryptica ſeu Implicita?*

Propoſitio Cryptica ſeu Implicita eſt propoſitio, in qua vel Subjectum vel copula non exprimuntur. (§. 165.)

77. *Quid eſt Propoſitio Explicita?*

Propoſitio Explicita eſt Propoſitio, in qua & Subjectum & prædicatum & copula exprimuntur. (§. 165.)

78. *Quid eſt Propoſitio Simplex?*

Propoſitio Simplex eſt Propoſitio, quæ unum tantumodo Subjectum, unumque Prædicatum habet. (§. 169.)

79. *Quid eſt Propoſitio Compoſita?*

Propoſitio Compoſita eſt Propoſitio, in qua plura vel Subjecta vel Prædicata ponuntur. (§. 169.)

80. *Quid eſt Propoſitio Categorica?*

Propoſitio Categorica eſt Propoſitio, in qua Prædicatum ſimpliciter de Subjecto vel affirmatur vel negatur. (§. 170.)

81. *Quid eſt Propoſitio Hypothetica?*

Propoſitio Hypothetica eſt Propoſitio, in qua Prædicatum de Subjecto ſub addita quadam conditione vel affirmatur vel negatur. (§. 170.)

82. *Quid eſt Propoſitio Disjunctiva?*

Propoſitio Disjunctiva eſt Propoſitio, in qua Subjecto plura Prædicata, vel Prædicato plura Subjecta adponuntur, ita ut determinatum non ſit, quodnam ex iſtis actu ponendum ſit. (§. 174.)

83. Quid

83. *Quid eſt Propoſitio Copulativa?*

Propoſitio Copulativa eſt Propoſitio, in qua de uno Subjecto plura Prædicata, vel de pluribus Subjectis unum prædicatum enunciatur. (§. 176.)

84. *Quid eſt Propoſitio Modalis?*

Propoſitio Modalis eſt Propoſitio, in qua modus exprimitur, ſecundum quem prædicatum de Subjecto vel affirmatur vel negatur. (§. 177.)

85. *Quid eſt Propoſitio Affirmativa?*

Propoſitio Affirmativa eſt Propoſitio, in qua prædicatum cum Subjecto conjungitur. (§. 178.)

86. *Quid eſt Propoſitio Negativa?*

Propoſitio Negativa eſt Propoſitio, in qua prædicatum a ſubjecto disjungitur. (§. 178.)

87. *Quid eſt Propoſitio Univerſalis?*

Propoſitio Univerſalis eſt Propoſitio, cujus Subjecto additur Signum quantitatis, omnis, nemo, nullus, & ſimilia. (§. 179.)

88. *Quid eſt Propoſitio Particularis?*

Propoſitio Particularis eſt Propoſitio, cujus Subjecto additur Signum Quantitatis Quidam, nonnulli & ſimilia. (§. 179.)

89. Quid eſt Propoſitio Singularis?

Propoſitio Singularis eſt Propoſitio, cujus Subjectum eſt aliquod individuum. (§. 179.)

90. Quid eſt Propoſitio Definita?

Propoſitio Definita eſt Propoſitio, cujus Subjecto ſignum Quantitatis expreſſe additum eſt. (§. 180.)

91. Quid eſt Propoſitio Indefinita?

Propoſitio Indefinita eſt Propoſitio, cujus Subjecto ſignum quantitatis expreſſe non eſt additum. (§. 180.)

92. Quid eſt Axioma?

Axioma eſt Propoſitio per ſe clara theoretica ex una definitione immediate fluens. (§. 183.)

93. Quid eſt Poſtulatum?

Poſtulatum eſt Propoſitio per ſe clara practica ex definitione illata. (§. 183.)

94. Quid eſt Theorema?

Theorema eſt Propoſitio demonſtrabilis theoretica e diverſis definitionibus invicem collatis inferenda. (§. 184.)

95. Quid eſt Problema?

Problema eſt Propoſitio demonſtrabilis Practica. (§. 184.)

96. Quid eſt Corollarium?

Corollarium eſt Propoſitio, quæ vel ex theoremate vel alia quadam propoſitione

tione ſequitur immediate, ita ut demonſtratione non amplius egeat. (§. 185.)

97. Quid eſt Scholion?

Scholion eſt Propoſitio, quæ ad explicationem vel qualemcunque illuſtrationem aliarum propoſitionum aliquid facit. (§. 186.)

98. Quid eſt Lemma?

Lemma eſt propoſitio, quæ ex aliis ſcientiis ad demonſtrandam aliquam Propoſitionem mutuatur. (§. 187.)

99. Quid ſunt Propoſitiones Contrariæ?

Propoſitiones Contrariæ ſunt propoſitiones, quarum una univerſaliter affirmat, quod altera univerſaliter negat. (§. 189.)

100. Quid ſunt Propoſitiones Subcontrariæ?

Propoſitiones Subcontrariæ ſunt Propoſitiones, quarum una de eodem ſubjecto particulariter affirmat, quod altera particulariter negat. (§. 190.)

101. Quid ſunt Propoſitiones Contradictoriæ?

Propoſitiones Contradictoriæ ſunt Propoſitiones, in quibus de eodem Subjecto idem prædicatum affirmatur & negatur. (§. 191.)

102. Quid eſt Propoſitio Contradictoria?

Propoſitio Contradictoria eſt Propoſitio, cujus

cujus Subjectum ita comparatum eſt, ut prædicatum ipſi competere nequeat. (§. 191.)

103. Quid eſt Syllogiſmus?

Syllogiſmus eſt Ratiocinium verbis expreſſum. Vel: Syllogiſmus eſt ratiocinium tribus abſolutum propoſitionibus. (§. 196.)

104. Quid eſt Dictum de Omni?

Quidquid competit Generi vel cum, vel absque conditione adjecta, id etiam competit Speciei vel Individuis, ſub illo genere ſtantibus, vel cum vel absque conditione adjecta. (§. 199.)

105. Quid eſt Dictum de Nullo?

Quidquid Generi vel cum, vel absque conditione non competit, illud etiam vel cum vel absque conditione non competit Speciei vel individuis ſub illo genere ſtantibus. (§. 200.)

106. Quænam eſt Materia Syllogiſmi?

Tres *Termini*, & tres *Propoſitiones.*

107. Quid eſt Terminus Major?

Terminus Major eſt Prædicatum ultimæ Propoſitionis in Syllogiſmo. (§. 201.)

108. Quid eſt Terminus Minor?

Terminus Minor eſt Subjectum ultimæ Propoſitionis in Syllogiſmo. (§. 201.)

109. Quid eſt Terminus Medius?

Terminus Medius eſt ille Terminus, qui duabus

duabus præmiſſis communis eſt, adeoque cauſa eſt, propter quam reliqui duo Termini in propoſitione ultima conjunguntur. (§. 201.)

110. Quid eſt Propoſitio Major?

Propoſitio Major eſt illa Syllogismi Propoſitio, in qua Terminus Major cum Medio conjunctus eſt. (§.203.)

111. Quid eſt Propoſitio Minor?

Propoſitio Minor eſt illa Syllogismi Propoſitio, in qua Terminus Minor conjunctus eſt cum Medio. (§. 203.)

112. Quid eſt Concluſio?

Concluſio eſt illa Syllogismi Propoſitio, in qua Terminus Major & Minor conjunguntur. (§.203.)

113. Quid intelligitur per Formam Syllogismi?

Forma Syllogismi eſt ille ordo atque leges illæ, quibus accommodati Syllogismi nunquam fallere poſſunt.

Vel:

Forma Syllogismi eſt illa diſpoſitio Syllogismi, qua vera conſequentia ex præmiſſis veris apte & ſecundum regulas ordinatis fluere poteſt.

114. Quænam ſunt Regulæ Syllogismorum Generales?

Regulæ Syllogismorum Generales ſunt ſequentes: 1. *Medius*

1. *Medius non ſumatur bis particulariter.*
2. *In Syllogismo nec plures, nec pauciores debent eſſe Termini, quam tres.*
3. *Tantum ſit in concluſione, quantum fuerat in præmiſſis.*
4. *Ex puris particularibus nihil ſequitur.*
5. *Ex puris negativis nihil ſequitur.*
6. *Concluſio ſequitur partem debiliorem.*

115. Quid eſt Figura Syllogismi?

Figura Syllogismi eſt Diſpoſitio Medii cum extremis. (§. 205.)

116. Quid eſt Prima Figura?

Prima Figura eſt, quando Medius in Majore propoſitione Subjectum, in Minore verô prædicatum eſt. (§. 205.)

117. Quænam ſunt Regulæ Speciales primæ *Figuræ?*

Regulæ Speciales *primæ* Figuræ ſunt ſequentes:

In *prima* Figura

1. *Major univerſalis, &*
2. *Minor affirmans eſto.*

118. Quid eſt Secunda Figura?

Secunda Figura eſt in qua Medius & in Majore Propoſitione & in Minore eſt Prædicatum. (§. 205.)

119. Quæ-

119. *Quænam ſunt regulæ ſpeciales Secundæ Figuræ?*

In *Secunda* figura
1. *Major univerſalis, &*
2. *Alterutra præmiſſarum*
3. *Cum Concluſione negativa eſſe debet.*

120. *Quid eſt Tertia Figura?*

Tertia Figura eſt in qua Medius & in Majore propoſitione & in Minore eſt Subjectum. (§. 205.)

121. *Quænam ſunt regulæ ſpeciales* Tertiæ *Figuræ?*

In *Tertia* Figura
1. *Sit Minor affirmans;*
2. *Concluſio particularis.*

122. *Quid eſt Quarta Figura?*

Quarta Figura eſt, in qua Medius in Majore Propoſitione Prædicatum, in Minore verô Subjectum eſt. (§. 205.)

123. *Quænam ſunt regulæ Speciales* Quartæ *Figuræ?*

Quarta Figura
1. *In Modis negativis Majorem habet univerſalem;*
2. *Si Major affirmans, Minorem oportet eſſe univerſalem.*
3. *Si Minor affirmans, concluſio, debet eſſe particularis.*

124. Quid eſt Modus Syllogiſmi?

Modus Syllogiſmi eſt diſpoſitio Propoſitionum ſecundum quantitatem & qualitatem. (§. 207.)

125. Quinam ſunt Modi Primæ Figuræ?

BArbArA, cElArEnt, (primæ) dArII, fErIOque. (§. 207.)

126. Quinam ſunt Modi Secundæ Figuræ?

CEsArE, cAmEstrEs, fEstInO bArOcO, (ſecundæ) (§. 207.)

127. Quinam ſunt Modi Tertiæ Figuræ?

Tertia grande ſonans, recitat dArAptI, fElAptOn,
Adjungens dIsAmIs, dAtIsI, bOcArdO, fErIsOn. (§. 207.)

128. Quinam ſunt Modi Quartæ Figuræ?

BAmAlIp, cAlEmEs, dImAtIs, fEsApO. (§. 207.) frEsIsOn.

129. Quamnam poteſtatem habent litteræ AEIO?

Aſſerit A, *negat* E, verum *generaliter* ambæ.
Aſſerit I, *negat* O ſed *particulariter* ambæ. (§. 207.)

130. Quid ſignificant conſonæ in Modis obviæ, S. P. M. C.?

S. vult ſimpliciter verti; P. verte per Accid.
M. vult transponi; C. per impoſſibile duci. (§. 207.)

131.

131. Quid eſt Syllogiſmus Crypticus?

Syllogiſmus Crypticus eſt, cujus non omnes tres propoſitiones ſunt expreſſæ. (§. 209.)

132. Quid eſt Syllogiſmus Hypotheticus?

Syllogiſmus Hypotheticus eſt, cujus Major Propoſitio conditionem aliquam continet. (§. 210.)

133. Quid eſt Syllogiſmus Disjunctivus?

Syllogiſmus Disjunctivus eſt, cujus Major Propoſitio eſt disjunctiva. (§. 214.)

134. Quid eſt Dilemma?

Dilemma eſt Syllogiſmus Hypotheticus, cujus conditio cum propoſitione disjunctiva eſt conjuncta, quæ verô negatur. (§. 217.)

135. Quid eſt Inductio?

Inductio eſt argumentatio, in qua Toti & Generi illud adſcribitur, quod de partibus & ſingulis ſpeciebus vel individuis dicitur. (§. 218.)

136. Quid eſt Sorites?

Sorites eſt argumentatio, in qua plures ſe invicem inſequuntur propoſitiones, & quidem hac lege, ut ſubinde prædicatum antecedentis propoſitionis fiat ſubjectum conſequentis, dum tandem in concluſione prædicatum

ultimæ & ſubjectum primæ conjunguntur. (§. 219.)

137. *Quid eſt Circulus in demonſtrando?*

Circulus in demonſtrando eſt, quando propoſitio aliqua per Syllogismum demonſtratur, cujus præmiſſarum aliqua demonſtranda eſt propoſitione prima. (§. 221.)

138. *Quid eſt Veritas Logica?*

Veritas Logica eſt conſenſus idearum & judiciorum cum rebus ipſis, quas cogitamus. (§. 223.)

139. *Quid eſt Idea Vera?*

Idea Vera eſt talis repræſentatio rei, quæ cum re ipſa conſentit. (§. 224.)

140. *Quid eſt Idea Falſa?*

Idea Falſa eſt talis repræſentatio rei, quæ cum re ipſa non conſentit. (§. 224.)

141. *Quid eſt Propoſitio Vera?*

Propoſitio Vera eſt, in qua prædicatum cum Subjecto conſentit. (§. 225.)

142. *Quid eſt Propoſitio Falſa?*

Propoſitio Falſa eſt, in qua prædicatum cum Subjecto non conſentit. (§. 225.)

143. *Quid eſt Ratiocinium Verum?*

Ratiocinium Verum eſt, quando præmiſſæ ſunt veræ, & ex iis concluſio legitime ſequitur. (§. 226.)

144. Quid eſt Ratiocinium Falſum?

Ratiocinium Falſum eſt, cujus præmiſſæ ſunt falſæ; aut e cujus præmiſſis concluſio non legitime ſequitur. (§. 226.)

145. Quid eſt Error?

Error eſt aſſenſus, qui falſæ ideæ vel falſæ propoſitioni præbetur. (§. 229.)

146. Quid eſt Præjudicium?

Præjudicium eſt præcipitantia in aſſentiendo propoſitioni cuidam, quam nondum ſatis habemus exploratam. (§. 230.)

147. Quid eſt Certitudo?

Certitudo eſt plena perſpicientia convenientiæ idearum, propoſitionum & ratiociniorum cum rebus ipſis, absque ulla formidine oppoſiti. (§. 231.)

148. Quid eſt Incertitudo?

Incertitudo eſt talis perſpicientia convenientiæ idearum, propoſitionum & ratiociniorum cum rebus ipſis, quæ â formidine oppoſiti liberata non eſt. (§. 231.)

149. Quid eſt Experientia?

Experientia dicîtur illa cognitio, quam acquirimus attendi ad ſenſationes noſtras. (§. 234.)

150. *Quid eſt Vitium Subreptionis?*

Vitium Subreptionis appellatur illud vitium, quo id pro experientia venditatur; quod tantummodo ratiocinium eſt, ex experientia elicitum. (§. 242.)

151. *Quid eſt Judicium Intuitivum?*

Judicium Intuitivum dicitur Propoſitio, cujus Prædicatum Subjecto ineſſe vel non ineſſe per experientiam cognoſcitur. (§. 244.)

152. *Quid eſt Judicium Diſcurſivum?*

Judicium Diſcurſivum dicitur Propoſitio, cujus Prædicatum cum Subjecto per ratiocinium conjungitur. (§. 244.)

153. *Quid eſt Demonſtrare a poſteriori & Analytice?*

Demonſtrare a poſteriori & Analytice eſt incipere a propoſitione aliqua demonſtranda, ab eaque retrogredi ad propoſitiones usque indemonſtrabiles.

154. *Quid eſt Demonſtrare a priori & Synthetice?*

Demonſtrare a priori & Synthetice eſt incipere a propoſitionibus indemonſtrabilibus, ab iisque pergere ratiocinando usque ad propoſitionem aliquam demonſtrandam.

155. *Quid*

155. *Quid eſt Demonſtratio Directa ſeu Oſtenſiva?*

Demonſtratio Directa ſeu Oſtenſiva eſt Demonſtratio, in qua ex definitione Subjecti legitimo modo concluditur, quod ipſi prædicatum competat. (§. 254.)

156. *Quid eſt Demonſtratio Indirecta ſeu Apogogica?*

Demonſtratio Indirecta ſeu Apogogica eſt Demonſtratio, in qua oppoſitum propoſitionis demonſtrandæ aſſumitur, & ex illo per legitima ratiocinia ad ejusmodi propoſitionem aliquam devenitur, quæ abſurda eſt & falſa. (§. 254.)

157. *Quid eſt Veritas Probabilis?*

Veritas Probabilis dicitur illa veritas, de qua per ſufficientes rationes tam certi non ſumus, ut nulla amplius adſit oppoſiti formido. (§. 256.)

158. *Quid eſt Opinio?*

Opinio eſt propoſitio nondum ſufficientibus demonſtrata rationibus. (§. 260.)

159. *Quid eſt Meditatio?*

Meditatio eſt applicatio cogitationum noſtrarum ad cognoſcendam verita-

tem, legibus cogitandi convenienter. (§. 275.)

160. Quid eſt diſcere?

Ille *diſcit*, qui curat, ut & iſtas res, quas alii ſunt experti, ac veritates ab aliis explicatas & demonſtratas diſtincte ſibi repræſentare valeat. (§. 286.)

161. Quid eſt dijudicare?

Ille *dijudicat*, qui res, quas alii ſunt experti, definitiones ab aliis datas, eorumque demonſtrationes cum regulis experientiarum, definitionum & demonſtrationum contendit, atque examinat, utrum ad earum normam confectæ ſint, nec ne? (§. 286.)

162. Quid eſt Docere?

Ille *docere* dicitur, qui conatur efficere, ut alter veritates, ipſi adhuc incognitas, intelligat, & de veritate earum certus fiat. (§. 304.)

163. Quid eſt convincere?

Convincere eſt alterum eo adigere, ut de veritate vel falſitate propoſitionis alicujus, ob allatam demonſtrationem certus fiat. (§. 304.)

164. Quid eſt Perſuadere?

Perſuadere eſt alterum eo adigere, ut propoſitionem aliquam pro certa habeat,

beat, utut nec ſufficienter explicata ac definita, nec legitime demonſtrata ſit. (§. 315.)

165. Quid eſt refutare?

Refutare eſt convincere aliquem, de propoſitionis ſuæ falſitate. (§. 318.)

166. Quid eſt diſputare?

Si duo de veritate propoſitionis alicujus coram diſceptant, ita ut alter rationes ſuas afferat, propter quas iſtam veram eſſe contendit, & ad argumenta contraria reſpondeat; alter autem & veritatem propoſitionis & datas reſponſiones impugnet, *Diſputare* dicuntur.

INDEX.

A. pag.

Abſtractum, quid? 87
Actiones liberæ, quid? 20
Adulator, quid? 241
Affirmare, quid? 146
Analogia, argumentum ab anal. 204
Anaxagoras 110
Anima, quid? 15
Appetitiva Facultas 17
Apprehenſio ſimplex 53
Argumentum ab invidia. 341
Artificium Reductionis. 183
Aſſumtio, quid? 175
Aſſenſus 223
Attentio, quid? 65
quomodo opem ferat ad ideas claras 65
ad ideas diſtinctas 70
ad ideas completas 77
adæquatas 81

pag.

Axioma, quid 159

C.

Certitudo 225
Character, quid? 59
Circulus in definiendo 124
in demonſtrando 210
Cognitio, a poſteriori 227
a priori 227
quotuplex? 2
Hiſtorica quid? 2
Philoſophica, quid? 4
Mathematica, quid? 4
Mathematica cum philoſophica conjugenda 10
Hiſtor. cognitionis philoſophicæ alterius 5
Hiſtor. Mathematicæ cognitionis alterius 6

Cogni-

Cognitio Hiſtorica, quomodo acquiratur? 6
initium humanæ cognitionis 7
Comprehenſio ideæ 87
Conceptus, quid? 51
Concluſio, quid? 175
Conditio impoſſibilis 152
Conſequentiarum fabricatio, quid? 341
Convincere, quid? 323
Copula, quid? 147
Corollarium, quid? 160
Cosmologia, quid? 24
Crypſis propoſitionum 148

D.

Definitio, quid? 115
Nominalis 127
Realis 128
Definitum 115
Definitio latior 118
anguſtior 118
adæquata 118
Definitionum Analyſis & Syntheſis 133
Deſcriptio, quid? 137
Demonſtratio 208
Directa 258
Indirecta ſ. Apogogica 259
Materiale, Formale 243
a priori & Synthetica 244
a poſteriori & Analytica 244
Deſcriptio, quid? 63
Dichotomia, quid? 141
Dijudicare, quid? 304
Dictum de Omni 269
Dictum de Nullo 270
Differentia Specifica 85
Differentia idearum
Formalis 58
Materialis 83
Dilemma 202
Diſcere, quid? 304
Diſpoſitio, quid? 300
Diſputatio, quid? 344
Diviſio, quid? 138. 139
quotuplex? 138
Diviſum, quid? 139
Dividentia Membra, quid? 139
Docere, quid? 322

En-

E.
Enthymema, quid? 198
Epiſyllogiſmus 209
Errare 222
Error 222
Eruditio non dat novas animæ facultates 51
Ethica, quid? 20
Experientia, quid? 227
interna 229
externa 229
vulgaris 230
artificialis 230
Experimenta 230
Explicare voces ſuas 100
Extenſio ideæ 87
F.
Faber conſequentiarum 341
Facultas cognoſcitiva 17. 46
Appetitiva 17
Fallacia, quid? 216
ſimplicis dictionis 216
Amphiboliæ 217
Compoſitionis 217
Diviſionis 217
Figuræ dictionis 218
Fallacia Accidentis 218
a dicto ſimpliciter addictum ſecundum quid 218
a dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter 218
Falſi Medii 219
Ignorantia Elenchi 219
Conſequentis 219
Cauſæ non cauſæ 219
Fides Hiſtorica 270
Figura Syllogiſmorum, quid? 181
Figuræ quot? 182
prima 181
ſecunda ead.
tertia ead.
quarta ead.
leges figurarum 183 ſeqq.
G.
Genus, quid? 86
H.
Hiſtoria Artificialis 310
Civilis 313
Eccleſiaſtica 311
Litteraria 314
Hi-

Hiſtoria Naturalis 309
Miſcellanea 316
Horologium, quid? 67

I.

Idea, quid? 51
vera 224
falſa 213
quotuplici modo acquir. ideæ? 93
abundans 78
arbitraria 90
clara 58
obſcura 58
confuſa 67
diſtincta 67
completa 75
incompleta 76
adæquata 79
inadæquata 80
univerſalis 86
ſingularis ſeu individualis 83
quid ad ideam requiratur? 52
partialis 66
totalis 66
non omnium rerum adæquatæ dantur ideæ 81
ideæ arbitrariæ quotuplici modo formari poſſint 90
Idea, earum veritas quomodo demonſtranda 91
Idearum diſtinctarum 70 71 72
Incertitudo 226
Individuum, quid? 83
Inductio, quid? 203
completa 203
incompleta 203
Interpretationis leges 281
Inſtantia, quid? 346
Intellectus 17
Intelligere alterum 98
Judicare 146
Judicium, quid? 55
145
intuitivum 235
diſcurſivum 235
quot habet partes? 147

L.

Leges Methodi Philoſoph. 31
Stili Philoſoph. 32
Cogitandi innatæ 39
Imaginationis 167
bonæ diviſionis 142

Lemma, quid? 161
Liber, quid? 304
Hiſtoricus 305
Dogmaticus 305
Syſtematico-Dogmaticus 317
Hiſtorico-Dogmaticus 317
Liberæ actiones 20
Livius 308
Logica; quid? 18
Naturalis 37
Connata 37
acquiſita 38
Artificialis 41
docens ſeu theoretica 41
utens ſ. practica 42
a Logica incipere debet philoſophiam tractaturus 26
quid præſtare debeat 56
Logomachia, quid? 99

M.

Major Propoſitio, quid? 175
Terminus, quid? 171
Meditatio, quid? 282
leges bonæ meditationis 283
Meditatio. Ope meditationis invenire definitiones 284
conficere Axiomata 284
poſtulata 285
theoremata & problemata 286
corollaria 287
ſcholia ead.
Medius Terminus, quid? 172
Membra Dividentia? quid? 139
Disjunctiva, 153
Metaphyſica, quid? 25
Methodus, quid? 30
Analytica 244
Synthetica 244
Philoſophica 30
Philoſophica & mathematica eadem eſt 32
Minor Propoſitio, quid? 175
Terminus, quid? 171
Modus Syllogiſmi, quid? 190
ponens, tollens 199
Nar-

N.

Narratio completa 30
Negare, quid? 147
Negativa propoſitio, quid? 155
Non multa, ſed multum 74
Nota, quid? 59
Notæ internæ, externæ 84
Notio, quid? vid, Idea

O.

51
Objectum Philoſophiæ, quid? 15
Obſcura Idea, quid? vid. Idea.
Obſcurus Terminus 100
Oeconomica, quid? 20
Ontologia, quid? 25
Operatio Mentis, quid? 47
Operationes Mentis, quot? 48 50
Opinio, quid? 268
Opponens, quid? 344
Ordo naturæ 319
Scholæ 319
Diſciplinarum 27
Origo Terminorum 94 95
Oſtenſiva Refutatio 193

P.

Paralogiſmus, quid? 215
Partes Philoſophiæ, quo ordine tractandæ 27
Perſuadere, quid? 331
Philoſophia, quid? 13
formare conceptum philoſophiæ 1
Philoſophia Practica Univerſalis 22
Philoſophia Practica ſeu Moralis 18
Philoſophiam tractaturus a Logica incipiat 26
Philoſophus, quis? 13
Philoſophi requiſita 14
Phyſica, quid? 22
Dogmatica ſ. Rationalis 24
Experimentalis 23
Politica, quid? 21
Poſtulatum, quid? 159
Præcipitantia in judicando 223
Prædicatum, quid? 147
Præjudicium, quid? 223

Præ-

Præjudicium, Reale 223
Perſonale 223
Singularismi 224
Auctoritatis 224
Diffidentiæ nimiæ 224
Confidentiæ nimiæ 224
Planitatis 224
Innoxium 223
Damnoſum 223
Ignorantiæ 224
Subtilitatis 224
Præſes Diſputationis 344
principium rationis ſuffic. 3
Probabile, quid? 263
Probabilitas 261
gradus probabilitatis 266
Hiſtorica 269
Philoſophica
Phyſica
Politica

P.

Probatio, quid? 208
Problema, quid? 160
quot habet partes? 160
Propoſitio, quid? 145
affirmativa 155
negativa 155
contrariæ 162
ſubcontrariæ 163
contradictoriæ 163
contradictoria 163
disjunctiva 153
requiſita illius 153
copulativa 154
falſa 214
vera 213
categorica 151
Hypothetica 151
improbabilis 263
probabilis 265
politice probabilis 275
practice probabilis 277
phyſice probabilis 278
Univerſalis 155 242
particularis 155
indefinita 156
definita 156
ſingularis 156
Infinita 155
converſa 164
convertibilis 164
modalis 154

Propoſitio. Quot partes propoſitionis 147
Qualitas propoſitionum 155
Quantitas propoſitionum 155
conditionalis 151
demonſtrabilis 158
indemonſtrabilis 158
theoretica 158
practica 158
compoſita 151
ſimplex 150
propoſitiones æquipollentes 165
ſubreptitia 234
cryptica, ſ. implicita 148
explicata 148
major 175
minor 175
propoſitionem crypticam convertere in explicitam 149
particularem in univerſalem 157
Profyllogiſmus 209
Pſychologia, quid? 16
Empirica 16
Dogmatica ſ. Rationalis 17

Q.

Qualitas Propoſitionum 146 & 150
Quantitas Propoſitionum 155
ſigna Quantitatis 156

R.

Ramiſtæ, quomodo diviſerint 142
Ratio, quid? 3. 80
Rationis ſuffic. principium 3
Ratiocinatio, quid? 55 166
Ratiocinia affirmativa 168
negativa 168
vera 214
falſa 214
Reductio ſyllogismorum 193
quotuplex? 193
Oſtenſiva ſ. Directa 193
per impoſſibile 193
Reductionis exempla 194. 195
Refutare, quid? 334
Refutatio Directa, Indirecta 336
Repræſentatio in mente, quomodo differt

differt a repræſentatione facta in ſpeculo? 53
Requiſita Philoſophiæ cultoris 32
organorum ſenſoriorum 230. ſeqq.
libri Syſtematico-Dogmatici 318
Philoſophi 14
Reſpondens, quis? 344

S.

Scholion, quid? 161
Scientia, quid? 12
Senſationes ſunt veræ 232
Senſus non ſufficiunt ad cognitionem philoſophicam 10
Signum Quantitatis 155
Univerſalitatis 156
Particularitatis 156
Simplex Apprehenſio, quid? 53
Somniator, quis? 13
Soni ſunt ſigna arbitraria 95
Sorites, quid? 205
Species, quid? 85
Sophiſma 215
Specifica Differentia 85
Spinoza 124
Status Politicus 19
Naturalis 19
Oeconomicus 19
Controverſiæ 345
Stilus Philoſophicus 32
Subdiviſio, quid? 139
Subjectum, quid? 147
Subſtantia 124
Subreptionis Vitium 234
Syllogiſmus 166
regulæ ſyllogiſmi generales & ſpeciales 172. ſeqq.
Hypotheticus 199
Disjunctivus 201
Affirmativus 165
Negativus 168
Crypticus 197
partes ſyllogiſmi reſpectu Terminorum 170
reſpectu propoſitionum 175
Syllogiſmus probabilis 265

Sy-

Synonyma 106

T.

Terminus, quid? 96
quinam termini vitandi 108
Abſtractus 107
Clarus 100
Concretus 108
Obſcurus 100
Complexus 106
Fixus 102
Vagus 102
Indeterminatus 102
ſine explicatione intelligi nequit 103
Proprius 104
Improprius 104
Metaphoricus 104
Inanis 96
Major 171
Minor 171
Medius 172
Æquivocus 102
Homonymi 105
Paronymi 106
Synonymi 106
Categorematici 106
Syncategorematici 106

Finitus 107
Infinitus 107
relativi 101
Teſtis fide dignus 271
auritus 273
requiſita Teſtis 271
Tetrachotomia, quid? 141
Theorema, quid? 159
quot habet partes 160
Theologia Naturalis, quid? 24
Totum Univerſale 140
Eſſentiale 140
Integrale 140
Poteſtativum 140
Trichotomia, quid? 141

V.

Veritas Metaphyſica 212
Moralis 212
Logica 212
Veritates moraliter certæ 264
Vitium Subreptionis 234
Voltaire 307
Voluntas 17

Vox, quid? 96
Vox caſſa ſ. inanis 96
Uſus Philoſophiæ
Generalis 35
Specialis 36
Typorum 63
loquendi 109
Utilitas Cognitionis Hiſt. 9
Idear. univerſalium 87. 88

00565584)

Digitized by Google